LIBELLA VERITATIS,

ad quam

Reſponſio Scrutatori Veritatis Fidei Nomine Auguſtano - Lutherani Cœtûs, data

Ejusdem

DETECTA NONDUM VERITAS

examinatur, & demonſtratur

Ab Autore

Joanne Franciſco Hacki S. J.
Rectore Collegij Gedanen.

TYPIS Monaſt. Olivenſis S. O. C.
Imprimebat,
JOANNES JACOBUS TEXTOR, Factor.

Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & frenos ori tuo rectos, ne fortè labaris in lingva. Eccleſiaſtici 28. 29.

Ad menſuram Sermones proferat LIBRA Juſtitiæ (quæ ſine VERITATE injuſtitia) *ut ſit gravitas in ſenſu, in ſermone pondus, atquè in verbis modus.* D. Ambroſius Lib. 1. Offic. c. 3.

LIBELLA prudentiæ (cui agnata VERITAS) *expendas, quid loquendum aut quomodo?* Oliverius Bonartius Comm. in Eccleſiaſtici Cap. 28.

Præf.

PRÆFATIO

Ad Benevolum Lectorem, tum & Autores Responsorum Scrutatori Veritatis.

PRodiit à me in publicum Anno 1680. in una phylura Superiorum permissu, tacito nomine, vulgatus *Scrutator Veritatis*, XII. Postulata proponens omnibus hodiernis Dissidentibus Neo-Evangelicis, per modum Prodromi ipsius *Scrutinii Veritatis Fidei*, quod tum habebam præ manibus, nunc autem jam videt lucem. Ut verò hic Scrutator sese omnium sisteret oculis, ipsa eum *Veritas stimulabat*; *Charitas* CHRISTI *urgebat*. *Veritas*, inquam *stimulabat*, quæ apud Esdram potentissimis quibusvis rebus prælata, & palmam & epinicion Universi Populi acclamatione reportavit. 3. Esdr. 4, 41. Quæ cùm Universæ, tum præcipuè Christianæ Philosophiæ unica meta & Scopus. *Philosophia* enim è mente Aristot. 2. Met. 13. est *Scientia Veritatis Contemplatrix*. Quæ ipso suo nomine DEUM refert; *PATREM DEUM Veritatis*. Psal. 30.6. Filium DEI, *Ego sum Veritas*. Joan. 14.6. Et *Christus est Veritas*. 1. Joan. 5. 6. Spiritum S. *Spiritum Veritatis*, docentem Ecclesiam *omnem Veritatem* Joan. 16. 23. Quæ denique *quoniam difficilis inventu est*, *undique nobis*

Causa & motiva in lucem editi Scrutatoris Veritatis.

Veritas ipsa.

bis est vestiganda monente D. Basilio in Procem. Lib. de Spir. S. *Charitas* autem *Christi urgebat*, ex Consideratione tot animarum, pretioso sanguine D. Nri. JESU Christi redemptarum; quæ tantum salutis æternæ periculum incurrunt, quantum in tot sectas dissectæ ab una veritate Fidei, adeoque à Centro immortalis vitæ DEO longè aberrant. Proposuit verò hic, inquam, Prodromus *Scrutator Veritatis* omnibus Dissidentibus Neo-Evangelicis XII. Postulata, quæ sunt Epitome XII. Discursuum in Scrutinio Veritatis, fusiore calamo descriptorum. Respondêre Scrutatori imprimis nomine Augustano-Lutheranæ Confessioni addictorum D. Samuel Schelgvigius, Profess. Public. & Bibliothec. p. t. Gedan. Libello suo præfigens Titulum *Detectio Veritatis, Scrutinio Veritatis, iniquo & Sophistico ex amore Dei & Verbi Divini opposita à Samuele Schelgvigio* &c. Hunc subsecutus è Calvino-Reformata Religione suppresso nomine, sed prout aliunde constat ab Adriano Pauli Doct. & Ministro ad Ecclesiam S. Petri Gedani conscriptum *Judicium de Scrutatore Veritatis, cum Responsione.* Subinde etiam è Sociniana familia comparuit suppresso itidem nomine, sed ut ex ipso dictionis exordio patet, quispiam è Nobilitate Polona publico Comitiorum Edicto unà cum aliis ejusdem sectæ Regno proscriptus. Libelli hic est Titulus: *Satisfactio data Scrutatori Veritatis ad 12. Ejus Postulata fidei, edita in lucem Anno 1680. à quodam ejusdem congregationis, quæ agnoscit unum Solum DEum, & qui missus est JEsum Christum* &c. Tandem & Qvakeri suam *Responsionem* (quæ est unius tantùm phyluræ) *ad Postulatum Quintum* solùm, eò quòd eodem se speciatim peti, (quia hoc postulato priori ante alios positi loco) existimabant, evul-

Et Charitas.

Scrutatori Veritatis responsum imprimis à Lutheranis.

Deindè à Calvino-Reformatis.

Tum à Socinianis.

Tandem à Qvakeris.

evulgârunt *per Georgium Keithum Amstelodami apud Jacobum Clausium Bibliopolam* Anno 1681. Soli Anabaptistæ seu Mennonistæ elegerunt potiùs silere, quàm quicquam quod haud ad rem foret, in medium proferre. At verò hosce Responsionum Autores, non quod optabat amicos, sed quod verebatur, hostes manifestos nactus est Scrutator, quos contra se velut dicto Sacramento obstrinxisse animos, strinxisse calamos, acuisse stylum experitur. Primus enim Scrutatorem in ipso Titulo vocat *Iniquum & Sophisticum.* Secundus *Vexatorem non Scrutatorem* appellat, quòd item *postulet iniquè probationes, præscribat temerè* &c. Tertius eundem *profundis in tenebris versari* pronunciat. Quartus deniquè *aperire oculos internos si quos habeat Scrutator*, addubitando num habeat ? monet. Ut meritò eosdem cum D. Paulo alloqui liceat: *Itanè Inimicus factus sum Vobis vera dicens Gal. 4. 16.* quia veritatem simplici stylo, duplici motivo & Veritatis intuitu, & animarum salutis zelo, à Vobis postulans indicari ? Nimirum veteri proverbio, *Veritas odium parit*: Quid igitur mirum, si & Scrutator Veritatis, in odium aliquorum velut lapidem offensionis inciderit ? Eccur verò hoc ipsum ? Nisi quia *sic amatur Veritas, ut quicunque aliud amant, hoc quod amant, velint esse veritatem, & quia falli nollent, nolunt convinci, quia falsi sint. Itaque propter eam rem oderunt falsitatem, quam pro Veritate amant : Amant eam Lucentem, oderunt eam redarguentem. Quia enim falli nolunt & fallere volunt, amant eam cùm seipsam incidat, & oderunt eam cùm eos ipsos indicat :* ait D. August. lib. 10. Confess. C. 23. Salem veritas imitatur, hic in aquam, mollemque escam injectus, liquescit ac utrumque sapore suo condit : vix verò candentem carbonem tangit,

Ab Anabaptistis seu Mennonistis nihil.

Scrutator Veritatis non Amicos, sed hostes Respondentes expertus.

Hujus quæ Causa.

cùm è veſtigio adeò eundem angit, ut protinus crepitando vehementer ſe rejici, & reſpui ſentiat, non ſine damno crepitantis, crepantisve carbonis. Verùm enimverò *nullus reprehenſor formidandus eſt amatori*, (adeoque & Scrutatori) *Veritatis: Etenim aut inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus; Si inimicus inſultat, ferendus eſt, amicus autem ſi errat, docendus eſt*, ait Idem L. 8. de Trinitate. Sequetur itaquè Defenſor Veritatis & Scrutator ejusdem, ſalubre S. Doctoris conſilium, & eos qui Chriſtiana *manſuetudine, charitate, patientia, modeſtia*, qua ſibi reſponderi expoſcebat è mente D. Pauli 2. Cor. 6, 6. 7. Tim. 4. 2. Phil. 4. 5. poſtpoſita, inimico animo, aculeato calamo, acriore ſtylo reſponderunt, & ut *inimicos inſultantes ferendos, & ut amicos errantes docendos*, imprimis cordi habebit. Qui cùm omnes & ſinguli, & ſibi & ſuis perſuadere conati ſint, ſe rem in XII. Poſtulatis deſideratam acu tetigiſſe; ita ut prior non Latino ſolùm, ſed & vernaculo ſermone Veritatem ſolius Lutheranæ Eccleſiæ detexiſſe, & velut in apertum Theatrum ſeſe induxiſſe ſentiat. Alter judicio ſuo Veritatem pro ſua ſolùm Religione prætoria Cenſura aſſeruiſſe ſe utroquè itidem Latino, & Germanico Idiomate ſibi videatur. Tertius plenariam & adæquatam ſatisfactionem à ſe datam Scrutatori, pro ſua itidem ſola Congregatione aſſerat. Quartus denique vel ad unum ſolùm Poſtulatum reſponſione cuncta ſe obtinuiſſe exiſtimet. Non alienum proinde à Veritatis, quam ſolerti inquiſitam indagine volumus, fuerit ſcopo, omnium & ſingulorum Reſponſa velut ad Lydium Lapidem probare, id quod commodùm fiet, cum Primi *Detectionem ad Libellam Veritatis*: Secundi *Judicium, ad Stateram Juſtitiæ* expenderimus: Tertii *Satisfactionem,*

Sed ferendi ut inimici inſultantes, ut amici errantes docendi.

nem, *Nullam* demonstraverimus. Quartum hisce per modum appendicis adjecerimus. Ut tandem purum Veritatis aurum, à fucato & adulterino discernatur, & illustrissimus τῆς ἀληθείας splendor mentibus hominum in tenebris errorum prô dolor! delitescentibus exoriatur. Etenim id quod de Græcæ Philosophiæ Veritate edixit Clemens Alexand. C. 6. stromatum; hoc longè veriùs de Philosophiæ Christianæ Veritate dici potest, *cùm sit singularis Veritas, quæ in Græca* (Christiana) *apparet Philosophia, quæ verè quidem est Veritas, quomodo Sol illuminans colores, ut album & nigrum ostendit, qualis sit unusquisque eorum, sic ipsa quoque refellit omnis sermonis probabilitatem*, quin & multò magis errorem, fucatamque veritatem. *Meritò ergò* pergit idem, *à Græcis quoque acclamatum est. Principium magnæ virtutis est Regina Veritas.* Utinam verò hæc Regina Veritas in omnium Dissidentium mentibus regalem conscendat thronum, hæreditarium possideat solium, sceptrum teneat, de hoste fucata Veritate triumphet, pacem inter Dissidentes cum Ecclesia afferat, regnet, imperet, perennet. Porrò antequam descendamus ad ipsum examen, discussionemque Responsorum in particulari præmittenda hìc erunt 12. Postulata, prout in Scrutatore Veritatis sunt universis proposita: Ne postmodum in singulorum Responsorum discussione repetantur, hìc sub unum velut oculi obtutum, subjicientur.

Veritas refellit omnis sermonis probabilitatem.

Principium magnæ Virtutis Regina Veritas.

Votum Autoris.

SCRUTATOR VERITATIS.

AD *universos & singulos, Superintendentes, Doctores, Rectores, Magistros, Professores Academiarum, Gymnasiorum, Scholarum, earundemque Proto-Scholarchas, Item*

Pastores, Prædicantes, Ministros, Exhortatores seu Admonitores, vel quocunque nomine intitulatos, omnium & singularum Neo-Evangelicarum; Protestantium Augustano-Lutheranæ, Calvino-Reformatæ. Item Ariano-Socinianæ, Anabaptistico-Mennonisticæ, Enthusiastico-Qvakerorum, seu Barklajanæ, seu Scheveniance, seu Confessionis Evangelicæ purioris, vel cujuscunque tandem Nominis; aut tituli Ecclesiarum, seu Religionum, seu Sectarum, aut communitatum homines, in quibuscunque frigido præcipuè Aquiloni subjectis mundi oris degentes, & à Romana Catholica Ecclesia, atque inter sese Dissidentes in re fidem salutemque æternam attingente XII. Postulata proponere expeditus.

I. Postulatum.

POstulatur & requiritur ab Augustanæ Confessionis Lutheranis, Calvino-Reformatis, Ariano-Socinianis, Mennonistis, Qvakeris, purioris Evangelicæ fidei Confessionistis, & sic de Cœteris, ab unaquaque sigillatim & seorsim Religione, seu Secta, quæ Evangelica dici & audire exambit.

An (1.) v. g. Lutheranis solis duntaxat sit unica sufficiens & adæquata fidei Regula atquè Judex Verbum DEI scriptum, seu S. Scriptura, ita ut diversarum, quas rejiciunt & damnant Religionum seu Veterum seu recentium, hæc eadem S. Scriptura non sit unica sufficiens & adæquata fidei Regula, Judexquè, atq; adeò erroneè & falsò illam pro unica suæ fidei Regula, & Judice vendicent & venditent. Idque 2do. An id possint probare certo, infallibili, irrefragibili, verbo Apodictico argumento ex eadem fidei Regula desumpto. Idque 3tio. tali, quod illis solis, nulli alteri diversæ Religioni, seu Sectæ, quam rejiciunt, conveniat serviatq;.

II. Postu-

II. Postulatum.

An soli v. g. Calvino-Reformati (idem dictum sit ad alios sigillatim) habeant certum, legitimum, & authenticum Canonem librorum S. Scripturæ, Versionemve illius authenticam; Cæteræ autem diversæ religiones aut Sectæ, quas rejiciunt, secùs. Idq́ 2do. an id probare possint argumento ex suamet unica fidei Regula S. Scriptura desumpto. Idq́ 3tio. Ita ut illo eodem nullo modo aliæ, quas rejiciunt Religiones, pro se uti queant.

III. Postulatum.

An soli v. g. Ariano-Sociniani (idem ab aliis speciatim petitur) habeant sensum, interpretationem seu expositionem ejusdem S. Scripturæ, verum legitimum atq́ authenticum cæteræ autem, quas rejiciunt Religiones minimè. Idque 2do. an id demonstrare possint Argumento ex eadem S. Scriptura, tanquam unica credendorum Regula. Idq́ 3tio. ita ut eodem nullo jure, nec bona fide, cæteræ quas rejiciunt Sectæ pro se gaudere possint.

IV. Postulatum.

An soli v. g. Anabaptistæ seu Mennonistæ (quo postulato etiam alii sigillatim petuntur) habeant Ecclesiam Christi veram, unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam, non item cæteræ, quas rejiciunt Religiones aut Sectæ. Idq́ 2do. An id ostendere possint argumento certo & apodictico, ex unica suamet fidei Regula, S. Scriptura allato: ita ut 3tio. idem nequeant sibi appropriare ullo modo cæteræ, quas rejiciunt, erroris q́ ac hæreseos damnant Religiones.

V. Postulatum.

An soli v. g. Qvakeri (idem ab aliis desideratur) habeant suæ fidei aut Ecclesiæ certitudinem, infallibilitatem, & perpetuitatem,

tuitatem, ut de illius solius duntaxat veritate certi sint, nullo item modo in fidei suæ dogmatibus & Articulis errare, falli aut fallere, neque ad extremum unquam deficere aut interire possint? Cœteræ autem quas repudiant eam Certitudinem, infallibilitatem, & perpetuitatem minimè habeant. Idq; 2do. An id probare possint infragabili argumento ex unica suamet fidei Regula, secundaria quidem (ut ipsi volunt in thesibus fidei Barclajanis) S. Scriptura, primaria autem Spiritu S. desumpto. Idq; tali 3tio. quod cœteræ, quas tanquam alienas à Veritate & Spiritu DEI erroris damnant Sectæ, nequeant sibi ullo modo applicare.

VI. Postulatum.

An soli v. g. Lutherani (soli item Calvinistæ, cœteriq; sigillatim) habeant puram Verbi DEI prædicationem, cœteræ autem quas rejiciunt Religiones, minimè Idq; 2do. An id probare queant apodicticè ex unica fidei Regula S. nimirum Scriptura, & quidem 3tio. ita ut frustra hoc ipsum pro se solis ex eadem fidei regula probare nitantur, cœteri quos rejiciunt.

VII. Postulatum.

An soli v. g. Calvinistæ (Postulatum procedit & de Lutheranis cœterisq; sigillatim) habeant legitimam Sacramentorum, seu, (ut alii negantes Sacramenta volunt) ceremoniam vel quodcunque aliud nomen sortiantur administrationem in sua Ecclesia; cœteræ autem Dissidentes & ab iisdem rejectæ Sectæ nequidquam, Idq; 2do. An id probare possint ex unica sua fidei regula S. Scriptura? & quidem ita, ut 3tio. eadem probatio fallat, si illa utantur pro se cœteræ ab eisdem repudiatæ Sectæ.

VIII. Postulatum.

An soli v. g. Lutherani (per consequens si non hi soli Calvinistæ,

vinistæ, aut alii separatim:) habeant veros, legitimè vocatos, ordinatos, missos, institutos Prædicantes seu Ministros Verbi Dei: seu ut aliis placet, Exhortatores vel Admonitores, vel quocunque tandem nomine gaudeant, ii, qui alios seu communitatem enitenter, autoritativè & velut pro Rostris docent, instruunt, atque informant in rebus ad fidem ac salutem æternam spectantibus: cœteræ autem, quas rejiciunt sectæ, tales minimè habeant. Idque 2do. An pro se solis probare id possint argumento, desumpto ex S. Scriptura, utpote unica fidei suæ Regula. Idque 3tio. ita, ut eadem demonstratio nequeat militare pro aliis, quas rejiciunt Sectis?

IX. Postulatum.

An soli Lutherani v. g. (aut soli Calvino-Reformati, ac sic de reliquis) habeant jus reformandi Ecclesiam Romano-Catholicam, eamque jure, ritè, debitè, ac legitimè defacto reformârint cæteræ autem diversæ ab illis, quas erroris damnant & rejiciunt Sectæ, nullum jus, eam reformandi habeant, eamque defacto nullo jure, indebitè atque illegitimè reformârint, aut etiam num reforment, aut reformare aliquando præsument. Idque 2do. An id possint probare argumento certo & apodictico ex prædicta illorummet unica fidei suæ Regula desumpto. Idque 3tio. tali quod nullo jure cæteræ ab iisdem rejectæ Religiones, reformationem tamen dictam, defacto prætendentes, aut aliquando prætensuræ, usurpare queant.

X. Postulatum.

An Soli Calvinistæ v. g. (aut si non hi, soli Lutherani, aut si neutri, soli Sociniani, aut quicunque alii Neo-Evangelici Sectarii sigillatim accepti) habeant Orthodoxum Evangelicum, Catholicum & Apostolicum Symbolum seu Confessionem suæ fidei, cui nullus error, nulla fraus, nulla subsit falsitas. Cæteræ au-

tem quas rejiciunt Religiones & sectæ, & si unaquæque illarum suum proprium atque diversum ab aliis Symbolum seu Confessionem suæ fidei in lucem editam non tamen Orthodoxam, Catholicam, Evangelicam & Apostolicam habeant, utpote quæ potiùs sunt erroneæ, falsæ, hæreticæ. Idque 2do. Quæritur, an id demonstrare queant argumento certo, infallibili, irrefragibili & apodictico ex sua toties repetita unica fidei Regula, scilicet sacra Scriptura desumpto. Idque 3tio. tali; quod nullo jure sibi asserere possint cæteræ Sectæ & Religiones, quas unà cum suis Symbolis rejiciunt.

XI. Postulatum.

An Catechismus cæterique dogmatici Lutheranorum solùm v. g. (aut Calvinistarum solùm &c.) Sint tales, qui in se contineant doctrinam sanam, seu veram, piam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam, Evangelicam, imò ipsius Christi Domini, aliarum autem, quas rejiciunt Sectarum Libri dogmatici, secùs. Idque 2do. An id probare possint argumento certo & apodictico ex S. Scriptura desumpto. Idque tali, quo nulla alia Secta pro se uti possit.

XII. Postulatum.

An denique Calviniana sola v. g. Lutherana sola, aut quæcunque alia sola, ita sit vera, Catholica, Orthodoxa, Evangelica, Apostolica ipsius demùm Christi Domini ejusque Divini Spiritus, fides, Religio seu Doctrina, ut cæteræ non tantùm actu, defacto & reipsa existentes, quas rejiciunt doctrinæ, sint falsæ, heterodoxæ, & hæreticæ, sed neque possibilis sit alia ulla vera & Orthodoxa ex eadem S. Scriptura deducta. Idque 2do. An ab iisdem probari possit argumento infallibili & apodictico ex eodem fonte nimirum S. Scriptura deducto. Idque 3tio. tali, quod nulla alia æquo jure in suum proprium agrum derivare possit.

Et hæc ſunt XII. Poſtulata, quæ in negotio fidei ſeu Religionis, atque adeò quod rei caput eſt, Salutis æternæ, à quodam Scrutatore Veritatis proponuntur univerſis ac ſingulis, à Catholica Romana, atque inter ſe ſe Diſſidentibus doctiſſimis quibusvis ubicunque terrarum præcipuè in Aquilone degentibus amore ſolius Veritatis (quæ unica, quia indiviſiva, cùm contrà falſitas ſemper multiplex ſit, & in partes diviſa) nec non ſalutis æternæ animarum pretioſo Domini Noſtri Servatoris Jeſu Chriſti ſangvine redemptarum deſiderio; poſtulataque ab iiſdem ſummum in modum; ut ad hæc poſtulata reſpondeant, iisdemque ſatisfaciant. Etenim ſi quæ illarum Religionum, quæ ſibi hodie Evangelicarum Nomen vendicant, id quod hic poſtulatur, ſe præſtare poſſe confidit, id ſine fuco, ſine dolo, ſine ambagibus, ſine cavillis ac criminationibus ſolius Veritatis erubeſcere neſciæ, intuitu, Salutiſue animarum Zelo atque amore, in Charitate non ficta, in omni patientia, ac doctrina ut Apoſtolus admonet, verbo, Chriſtiana cum modeſtia liberè & ſeriò faciat. Sin verò nulla dictarum Religionum, id quod hic poſtulatur, præſtare queat, evidens eſt, ſoleque meridiano clarius, omnes & ſingulas ſua cauſa cadere, nullam in Veritate, quæ baſis ac fundamentum ſalutis, ſubſiſtere, imò nullum mortalium tuta & ſecurâ conſcientiâ ulli earum fidere, adhærere, verbo in ea vitam degere, atque ultimum diem obire poſſe aut debere, citra ſalutis, vitæque æternæ manifeſtum periculum, imò interitum.

Et verò auſim non vanus eſſe Vates, nullam hodiernarum Neo-Evangelicarum cujuſcunque ſit nominis ac Profeſſionis Religionum, id præſtituram, quod his XII. Poſtulatis Scrutator Veritatis ab omnibus & ſingulis requirit, non dico ſuperficialiter, levidensè, ac ſuprema manu velut fucum aut faſcinum, ſimplicium mentium oculis ſuperinducendo, ſed certis, firmis, apodicticis, convictivis argumentis ad contentationem videlicet, &

satisfactionem, Veritatem ac salutem æternam perscrutantis animi. Etenim cùm omnes & singulæ præsupponant unicam suæ fidei Regulam seu normam atque Judicem esse solam S. Scripturam, quicquid pro se solis v. g. Lutherani ex eadem attulerint, idem sibi appropriabunt Calviniani aut alii diversarum sectarum, adeò, ut vel inde necessarium consequens fluat, vel omnem esse veram, Apostolicam atque Evangelicam Religionem ac doctrinam, quia nulla est, quæ non id sibi adscribat argumento ex S. Scriptura, unica omnium fidei Regula, & norma desumpto, aut si hoc tanquam absurdum & inconveniens nolis admittere, utpote ex quo consequatur quædam confusio plusquam Babylonica, cogaris concedere nullam esse veram Apostolicam Evangelicam; quia nulla id pro se sola demonstrare potest argumento certo & apodictico ex eadem S. Scriptura tanquam Universali & Communi fidei Regula desumpto, quin eodem pro se utatur alia. Utra itaque illarum in hac lite causam, in hac arena palmam obtineat, semper sub Judice lis erit.

LIBELLÆ VERITATIS

Quâ Responsum Lutheranum Scrutatori Veritatis datum expenditur, demonstraturque quòd illo detecta nondum Veritas.

CAPUT I.

Expenditur Titulus Libri.

Titulus libelli Respon-

AUtor hujus Responsi eum libello suo titulum affixit. *Detectio Veritatis Scrutinio Veritatis, iniquo & Sophi-*

Sophiftico ex Amore Dei ac Verbi Divini oppofita. *Detectio* inquit *Veritatis* planè ad rem appofitè, at non ad Veritatem. Quid enim convenientius ad rem? quàm tectam ac proinde Scrutinio & indagini expofitam Veritatem detegere? Quid verò difconvenientius ad Veritatem? quàm eandem, quæ aliàs fimplex eft ac nuda, cerufsâ, fucatisque coloribus depictam intuentium oculis exponere? Ignofcat Refpondens dicto non dicaci, etfi liberiori, at Veritati conformi, quo eidem nihil detractum velim, præter fucatam Veritatem. *Detectio* hæc *Veritatis*, eft *Rejectio Veritatis*. Non id frivolè, nec mordaciter dictu accipiat. Neque enim novum ac infolens eft eidem aliàs audacter & deterfa fronte rejicere apertius detrahere Veritati. Apello unumquemque cordatum & prudentem Lectorem. An non detraxit, aut faltem interdum non fine fcurrili rifu illufit Veritati? (vellicat enim mihi aurem, ille, ille primus Autoris partus fub Titulo *Concilium Hierofolymitanum*, & alter *de Rechabitis*; ut cætera ejus opufcula, fimilibus infperfa flofculis prætere-am) quando inter alia dicto priori libro Cap. 1. num: 5. Catholicos fcurrili dicacitate vocat *Romanæ Curiæ Bafiatores*. Item Cap. 1. Numr. 8. *Amplitudinem poteftatis & Voluntatis Ecclefiæ Romanæ à Confcientiarum Tyrannis improbè jactitari.* Ejufdem Tyrannidis meminit pluribus locis, tum lib. de Concilio. Hierofol: tum de Rechab: Itanè Imperatores, Reges, Principes, Epifcopi, Prælati, cæterique Catholici Confcientiarum Tyranni? quifquis id eifdem imponit, non ille à gravi, quam in tot infontes confcientias exercet, Tyrannidis nota excufatur! Annon detraxit Veritati? quando ibid. Num: 11. ait fine ulla Verecundia. *Quod verò omnes Epifcopi in univerfo terrarum orbe,*

dentis Lutherani expenditur.

Detectio hæc potiùs Rejectio aut detractio Veritatis dicenda.

Sit & in aliis libris contra Ecclefiam Romano Catholicam editis paffim eidem detrabit.

orbe, ſub uno Capite viſibili tanquam Dei omnipotentis in terris Vicario, atque impudentiores impiè garriunt, DEO terreno, ſe conjunxerint, aut conjungere debuerint, neque ex Sacris neque ex profanis Scriptoribus fide dignis unquam probabitur, ut adeò Pontificii jungendæ ſocietati, tam diſtinctæ & diſſolutæ, in qua vivunt funem ex arena hactenus nexuerint? Tantane eſt audacia aut veriùs temeritas Reſpondentis, ut ſe *omnibus Epiſcopis in Univerſo terrarum orbe*, audeat opponere. At nonne apertè ait S. Paulus ad Rom. 12. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*; at quæ ſublimior? quàm quæ Vicaria ipſius Chriſti? *Non eſt enim poteſtas niſi à DEO.* Ergo & Poteſtas Pontificis Romani non eſt niſi à DEO. Quis ab illa *omni* univerſaliter de qua Apoſtolus, hanc ſingularem & unicam excludat? *quæ autem ſunt, à DEO ordinatæ ſunt.* Ergo cùm ſit *Poteſtas* Pontificis, *à DEO ordinata eſt*: Quis mentis ſanæ compos dicat ſolam Poteſtatem Pontificis Romani per mille ſexcentos, & quod excurrit, annos haud à DEO ordinatam eſſe? Qui cùm tot Poteſtates Regum, & Imperatorum Medorum, Perſarum, Græcorum, Hebræorum, Romanorum, & Cœterorum, ad aliquod temporis ſpatium ordinatione ſua permiſerit dominari, tandem eorundem poteſtatis & Dominationis præcidit filum, & hanc unam duntaxat non ſine Providentiæ ſuæ Divinæ ordinatione Mille ſexcentis & ultra annis voluiſſet viſibiliter regere Eccleſiam, voletque usque ad finem mundi? Itaque addit D. Paulus, *qui reſiſtit poteſtati Dei ordinationi reſiſtit.* Ergo & qui reſiſtit Poteſtati Pontificis Romani Dei ordinationi reſiſtit. Poteſtnè certior & evidentior dari illatio? *Qui autem reſiſtunt, ſibi ipſi damnationem acquirunt.* Videat & perpendat Reſpondens, & omnes quotquot reſiſtunt, in

Pontificis Romani Poteſtas à DEO ordinata.

Cui quo reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit.

Quin & damnationem ſibi acquirit.

in quantum damnationis barathrum eos effrons planè & proterva detrudat resistentia. Quid quod idem Apost. Hebr. 13. 17. inquiat, *Obedite Præpositis Vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis.* An non denegata obedientia Præpositis Sacerdotibus ac præcipuè Summo in terris Sacerdoti, Causa est omnium in Ecclesia malorum, præcipuè schismatum & Hæreseon? Agnovit hoc D. Cyprianus M. qui ipse maluit à sua recedere sententia, quàm Romano Pontifici Cornelio oppositum sentienti circa non iterandum baptismum hæreticorum dissentire Hic Epist. 55. aliàs lib. 1. Epist. 3. ait. *Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt Schismata, quam inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus* sacerdos, *& ad tempus Judex vice Christi cogitatur. Cui si secundùm Magisteria Divina obtemperaret fraternitas Universa, nemo adversum Sacerdotum Collegium quidquam moveret: Nemo post Divinum Judicium, post Populi suffragium post con-Episcoporum consensum, judicem se jam non Episcopi, sed Dei* (vide quomodo in Episcopo Deum agnoscat?) *faceret, nemo discidio Veritatis Christi Ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsim foris hæresin Novam conderet.* Annon hoc ipsum quod hic S. Martyr de suis temporibus dixit, nostra hac ætate experimur, & planè manibus palpamus? Unde enim tot schismata, tot sectæ in Ecclesia? Annon quia Summo Pontifici & Episcopo qui *unus in Ecclesia, ad tempus Sacerdos, & ad Tempus Judex Vice Christi cogitandus*, suavi obedientiæ excusso jugo, eidem obtemperare *recusat fraternitas, Discidio Veritatis Ecclesiam scindens*, & ne dicam, tot sibi cudens Religiones, quot

Causa hæresum inobedientia uni in Ecclesia Sacerdoti ex Cypriano.

quot sensus & capita. Annon Supremo Pastori oves, earumque Pastores inferiores, & Subordinatos invicem conjungi? Annon capiti corporis membra tam minutiora quàm majora connecti? Annon Supremo Duci Exercitus, non tantùm gregarios milites, sed & Officiales sociari debere, ipsa Ratio boni ordinis exposcit? Ast Christus D. Romanum Pontificem Suum Vicarium & Supremum Pastorem, & Caput, & Principem, & Ducem fidelium in Ecclesia sua esse voluit: quod à tot viris Doctis, tum à nobis *Scrutinii Veritatis* Parte 2. uti & in *Regia via* Manuduc: v. sufficienter est probatum: Annon proinde illi meritò conjungi ac Sociari etiam alios Episcopos, omnemque Christianum populum necessum est. Hoccine est Respondenti *funem ex arena nectere*? Claudo cum S. Hieronymo alloquente Damasum Romanum Pontificem: *Quicunque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, Antichristi est*, ep. 57. Et 18. ad eundem: *Ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Possem plura ex SS. Patribus hujus rei adferre testimonia, sed alteri loco, nempe *Regiæ via* reservantur, hæc innuisse sufficiat.

In plurimis aliis Veritati detraxit Respondens libro de Concil: Jerosoli.

Detraxit adhuc aut etiam illusit Autor Veritati quando ibid: & eodem numero Concilium Tridentinum vocitat per contemptum, *Conciliabulum*, Patres verò ejusdem Concilii per diminutionem *Paterculos* cap. 9. Num: ult. Intoleranda hæc est præsumptio, quam quia in Scrutiniis Veritatis Part. 1. bono quem merebatur asterisco, notavimus, ideò hic ab ulteriore nota supersedere visum.

Detraxit insuper Veritati Resp. c. 6. Num. 9. cùm Romam vocat *Babylon Magnam, quæ cecidit & facta est habitatio*

bitatio Dæmonum &c. Detraxit illusitque Veritati, taxando *Pontificias Processiones* Cap. 8. n. 2. item consuetudinem *pedes lavandi die veneris. M.* Ibid. item dicendo Pontificios *Fronte carere* Cap. 9. num. 7. *eorundem Concilia* vexando. Cap. 10. item *Pontifices non tam studio investigandi veritatem, quàm incrustandi errores agi.* Taceo sexcentas alias ejusdem Veritati detractiones, quòd de Baronio dicat: *Hic pecori imperitat, tota hunc armenta sequuntur* Cap. 2. num. 5. dicere debuerat id, quod nescio, quo casu amanuensis non rem ipsam, etsi pedes carminis fallente calamo scripsit. *Hic pecori Hæretico imperitat, tota hunc argumenta sequuntur.* Surii Historiam *Sanctorum vastissimum centonem* per ludibrium facit. Cap. 6. num. 1. Stapletonum *ex paleis firmamenta, Monarchiæ Papalis conquirere voluisse* fingit 16. num. 7. Bellarminum, Cornel: à Lapid: Sanctium, & alios *Curiæ Romanæ gnathones*, seu parasitos scurriliter nominat Cap: 11. num. 1. Quòd Catholicos faciat *Pelagianos*, Cap. 16. num. 6. Salmeroni adscribit, *quòd lucem cum tenebris maritare laboraverit.* Cap. 18. num. 4. *Lainium in Concilio Tridentino ambitionis* insimulet. Cap. 19. num. 4. *Miracula in Indiis S. Xaverii* neget Ib: num. ult. *Catholicos cum Pseudo-Apostolis* comparet. C. 9. Num. ult. item C. 16. num. 9. De Lorino & Salmirone ait, *procul hinc procul este profani.* Cap. 30. n. 4. Notat *Lorinum & Catholicos, quòd sub prætextu & titulo Apostolicarum traditionum perversa dogmata & superstitiosarum ceremoniarum ineptias, vulgò obtrudant.* Cap. 31. n. 8. *Constantiensis Concilii Patres, Paterculos Obstantienses* Sardonico risu excipit. C. 36. n. 3. Taceo plurima alia in eodem Libro; prætereo quoque ea, quæ in altero Lib. de Rechabitis tum & aliis tam Latino, quàm Germanico idiomate editis, Ve-

Idem præstitit Libro de Rechabitis.

ritati detracta sunt. Quæ cùm ab Authore silentio involvenda potiùs, quàm citra Veritatis leges præmeditata conscripta, typis vulgata, in publicum spargenda fuerint; non est cur & nos eisdem pluribus immoremur. Sinamus interim, ut tales in Ecclesiam S. Matrem ejusque filios injuriæ, graviorem supremi Judicis Censuram aliquando experiantur. Ille enim ait: *Mihi vindicta, & ego retribuam* Rom. 12. 19. Sentiet hæc manus Esau contra fratres suos pugnans graviorem Divinæ Themidis dexteram. Quanquam ut resipiscat ipse & alii cum eo, adeoque mitiùs cum illis agatur, ex animo optemus. Quemadmodum itaque in his à Respondente Veritati plurimùm detractum videmus, ita eum & hoc suo Responso Veritatem haud detexisse, sed veriùs eidem detraxisse censendum est; quod ipsum palàm fiet ex dicendis. Non ergò sibi constat libelli Titulus.

Scrutinium Veritatis fidei haud esse iniquum ostenditur.

2. Vocat deinde Respondens in eodem Titulo, Scrutatoris, Scrutinium Veritatis, *Iniquum & Sophisticum*; quibus aculeatis verbis, non tantùm Veritati detraxit, sed & injurium se præstitit in Scrutatorem, nec non in Christianam Charitatem & modestiam, cum qua sibi juxta D. Pauli monitum responderi postulabat Scrutator. Nequicquam enim *iniquus est Scrutator* 12. illa postulata proponens, quin æquissimus. Quid enim æquius, quàm in tanta diversitate & discrepantia tot Religionum Sectarumve inter se dissectarum ad unum idemque Principium fundamentumque fidei recurrentium inquirere & scrutari, quænam hodie omnium & singularum una, sit illa vera Ecclesia, veraque Confessio, veraque fides, *sine* qua *impossibile est placere DEO* Hebr. 11. quæ item est *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* ibid. sine qua demùm nemo salvus fieri potest.

3.

3 Dicit deinde in titulo, *Scrutinium* esse *Sophisticum*, & hæc est matæologiæ Respondentis aculeata criminatio. Notum etenim est omnibus, qui vel primis labris attigêre scientias Philosophicas, cum juxta Arist. l. 1. de repreh. Sophist. C. 2. Sophistam dici, qui *ex ea, quam præseferr non vera sed simulata sapientia quæstum facit.* Et è mente D. Irenæi adversùs hœreses lib. 3. c. 40. *Sophistæ verborum magis volunt esse, quàm veritatis*: quod cum eo coincidit; quod Arist. ait. *Sophista speciem modò habet, non Veritatem.* l. 3. Metaph. C. 2. t. 5. At verò procul est à Scrutatore simulatam non veram præseferre sapientiam, eaque nescio quem facere quæstum. Ad eam enim ille Sapientiam invitat omnes & singulos Diffidentes, quæ inter veros Christianos in ipso sapientiæ Christianæ consistit fastigio? Quæ nota & characteristica est verè Christianorum. Quam tantis suspiriis Ecclesiæ suæ precabatur Christus D. in ultimo suo, post cœnam, sermone, ut nimirum credentes in eum *unum sint*, quemadmodum *ipse unum est* cum suo æterno Patre. Joan. 17. Quam insuper S. Paulus omnibus fidelibus commendabat: *Exhortamini, idem sapite, Pacem habete, & Deus Pacis & dilectionis erit Vobiscum.* 2. Cor. 13. 11.

Haud item Sophisticum probatur.

Quid Sophista?

Cum quo eosdem item alloquitur intimo animi sensu. *Si qua ergò consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ Societas Spiritûs, si quæ viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem Charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, nihil per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Phil. C. 2 v. 1. Optat item omnibus, id quod & sibi cordi esse fatetur, *non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Rom. 12. 3. ut ita per

veram non ſimulatam Sapientiam Chriſtianam *credentium cor ſit unum & anima una.* Act. 4. 32. Quæſtum item quærit Scrutator, non qui lucra ferat pecuniarum, ſed animarum, pretioſo D. Noſtri Servatoris ſangvine redemptarum. Dicit ille ingenuè cum D. Paulo. *Quæ enim mihi fuerunt Lucra* (ſcil. in vita hujus mundi) *hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, propter quem etiam omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Phil. 3. 7. 8. Lucrifaciendo animas, pro quibus quin & pro Reſpondentis etſi adverſarii paratus eſt *anathema eſſe à Chriſto* cum eodem Apoſtolo Rom. 9. 3. Sophiſtarum item eſt, Argumenta ad ſpeciem vera proponere, quibus tamen aut decipiant, & in errorem inducant Auditorem, quod mali & perverſi, aut eidem captioſè illudant, quod doloſi & vafri eſt animi. Neutrum Scrutator facit, ſed veriùs ea in medium adfert argumenta, quibus ex perplexiſſimo errorum mæandro educantur ſecurè mortales; & Veritatis rationibus, non doli retibus; (ſi tamen & dolo quidpiam tribui velis, non aliô, quàm Sanctô, Apoſtolicô, Paulinô, de quo ipſe gloriatur: *dolo vos cæpi*) capiantur, ne videlicet caſſibus infernalis aucupis incaſſùm irretiti in prædam eidem cedant æternùm haud recuperandam. Judicet proindè quiſque cordatus, annon Reſpondens injurius ſit in Scrutatorem, ejus Scrutinium, non *iniquum* duntaxat, ſed & *ſophiſticum* vocitando?

4. Addit demùm Reſpondens in titulo, *ex amore Dei, & Verbi Divini Detectionem Veritatis oppoſitam* à ſe Scrutinio Scrutatoris. Laudo pium amorem: Aſt viderit annon ſimulatus aut fucatus hic amor Dei & Verbi Divini? Nam Verbum Divinum per os Diſcipuli, *quem dili-*

diligebat Jesus loquitur nobis: *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est: Qui enim non diligit Fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* 1. Epist. C. 4. 20. At enim verò, ineat cum conscientia sua rationes Respondens, quænam in eo dilectio fratrum in Ecclesia Catholica, quos unà & Ecclesiam ipsam Verbis contumeliosis, convitiosis famamque lædentibus, proscindit, ac theonino dente, in concionibus è Cathedra, tum in sermonibus privatis, tùm denique in editis libris arrodit. Et hæc sufficiant ad Titulum. Jam veniamus ad ipsum Responsum.

CAPUT II.

Discutitur Caput 1. *&* 2.

De Causis, quæ Autorem ad scribendum impulerunt.

1. SEcundo Capite Libelli sui Respondens, Vatem vereor, ne falsum, qui sibi Lectorique imponat, agere videtur. Causas, quæ Autorem ad scribendum impulerunt, eruere contendit; at è propriis conjecturis, non quas Scrutator ipsemet ingenuè & apertè adducit: Respondens autem suprema manu solùm attingit, quas hìc repetitò innuere minimè erubescit. Sunt autem præcipuè duæ, nimirum 1. *Amore solius Veritatis*, quæ unica quia indivisa, cùm contrà falsitas semper multiplex sit, & in partes divisa, ut deductum in Regia Via manud. 1. Nec non 2. *Salutis æternæ animarum* pretioso D. nostri Servatoris Jesu Christi sangvine redemptarum desiderio.

Scrutatoris an audax facinus?

Non moror morositates Respondentis; breviter duntaxat aliqua ejusdem dicta ad Libellam Veritatis appendere libeat.

Audax profectò facinus Scrutatoris, insultando, vocat, *& plus quàm Goliathicum, eundemque levibus aut nullis instructum armis*, asserit. Audax sit sanè? at non temerarium: audacia enim Prudentiæ & fortitudini juncta, haud caret indole virtutis. Temeritas, quia prudentiam excludit licet fortitudine armata, nunquam non genium vitiis induit. Illam non rejicit, ab hac abhorret Scrutator.. *Audentes Deus ipse juvat.* At *temeritate multa nascuntur mala. Facinus*, ait, nimirum insigne est, nec vituperandum ab ullo prudente & cordato, quod aggreditur. *Plus quàm Goliathicum*, id est, illi affine, qui sua paruitate Goliatho de granditate sua gloriante, major evasit, utpote qui non se sentit esse *Carneam illam turrim* ut Goliathum D. Joan. Chrysost. vocat: Nec venit cassìde, & loricâ armatus, sed nuda veritate munitus; non in Clypeo & hasta, sed in nomine Domini, quo & insignitus, & vel ideò nec *levibus*, nec *nullis instructus armis*. Quibus non ad duellum & bellum evocat ullum; sed ad bellam Veritatem perscrutandam & amplectendam provocat universos: Ea enim est Veritatis vis & Potentia, Teste D. Hieron. *quæ claudi, ligari potest, vinci non potest, quæ & suorum paucitate contenta est, & multitudine hostium non terretur* in Procem. Com. in Hierem. *Omnes provocat Scrutator*, inquit Respondens, nimirum ad unicè indagandam & cognoscendam Veritatem, quæ utique unica, quia ut Tertull. de Virg. velandis verè ait. *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporis, non Patrocinia Personarum, non Privilegium regionum* dicam & Religionum.

Om-

Omnes provocat, ut omnes ad unum Veritatis tot humanarum mentium lineas revocet centrum, à quo per tot ſectas ſparſim ſectimve quàm longiſſimè receſſère. *Omnes* denique *provocat*, ut omnes ad illud punctum Veritatis reducat, à quo pendet æternitas.

2. *A maledictis & mendaciis* alieniſſimus eſt Scrutator, cui unicæ curæ & cordi eſt *Veritas* : Nec in ordinem Arianorum Auguſtano-Lutheranos rejicit, niſi in quem ſe ipſos præcipitârunt, nempe communione unius ejuſdemque Primi Principii fidei, quod ſcil. *ſola Sacra Scriptura ſit Regula & Regulans ſeu Judex fidei rejecta Eccleſiæ Catholicæ Autoritate*, quod utrique ſibi omninò vendicant, uti & cœteri Mennoniſtæ, Quakeri &c. prout deductum Scrutinii P. 1. Diſc. 1. *In Ordinem Arianorum Lutheranos haud rejicit.*

3. *Tolerantiam*, ait, Reſpondens, *Auguſtano-Lutheranorum Sereniſſimi Regis ac Clementiſſimi Domini noſtri Juramento ſancitam, totque Privilegiis & Pactis firmatam & roboratam eſſe*. Non hìc expendo Juramentum Regium, non privilegia data, non pacta Diſſidentibus in Religione; utpote quæ haud ſunt hujus loci. Remitto curioſum Lectorem ad Andream Lipſki in Decade Quæſtionum hæc fuſiùs tractantem. In id velim ſolùm Reſpondens animum advertat, quòd eum ſine præmeditata advertentia in chartam reor fudiſſe ? Dum enim hiſce verbis utitur. *Tolerantiam Auguſtano-Lutheranorum, à Sereniſſimo Rege Juramento ſancitam, privilegiis & pactis firmatam, & roboratam*; ſuam fidem & religionem eſſe omninò recentem, & novam, nuperque natam, quæ nonniſi *Tolerantiam Regum* merebatur, ut proinde Privilegiis novis, pactiſve firmari & roborari neceſſum habuerit; adeoque ſe novæ non antiquæ fidei per ſucceſſionis haud inter-

ruptæ

ruptæ Lineam ab Antecessoribus ad succedaneos legitimè deductæ, possessorem esse, manifestè declarat. Certè *Tolerantia* hæc est, quam Coronata inclyti Poloniarum Regni Capita, ac tota Resp. tolerant, non extollunt: tolerant, ne extemplò omni vi admotâ, tollant; utpote quæ sensim agnita veritate, ut spes est non vana, tandem seipsam non tolerabit, quin tollet exemplo Eusebii Ep. Cyri seculo V. ut constat ex Act. Conc. Chalcedon. Tertullianistarum seculo V. teste S. August. Lib. de hæres. & Anonymo sub nomine Hygini apud Hinemar. in 26. hæresi. Item Eutychetis Patriarchæ Constantinop. seculo VI. sub Gregor. M. Item Reccaredi Regis Gothorum cum universa Gente sua Gothica: teste Greg. M. Dial. 31. aliisque seculo VI. Exemplo denique multorum, tum Regii Principumque sanguinis, tum Nobilis prosapiæ, nec postremæ eruditionis Virorum, tum & Regionum ac Civitatum præterito atque hoc seculo V. Flor. Remundum: & Regiam Viam Manud. ult. Ut proinde vana sibi Respondens præsagia nescio cujus mali (*ex intentione* ut ait *scribentis*, de qua sibi minimè est conscius) confingat, timenda ab eo, qui ut Scrutator Veri, est amator boni, & sectator pacis. Qui investigans verum, non intendit invenire malum, sed bonum affine Vero; vincereque *in bono malum* semper exambit. Malæ credo Causæ conscientia ominosum nescio quid in Respondente vel invito extorsit.

4. *Haud se ex Doctissimis esse asserit* Respondens, vel ideò tamen doctissimus, quia cum D. Paulo *nihil se scire profitetur, nisi Jesum Christum Crucifixum.* 1. Cor. II. 2. O quantum, hæc scientia Arcanum! Quanta scientiæ & sapientiæ Dei altitudo! quàm sublimis Theologia in Doctore

Gen-

tium! quam raptus ad tertii cœli Academiam mirabiliter didicit! Scrutator, profectò nec se hanc scientiam, quemadmodum oportet, exhausisse ingenuè fatetur. Nec proinde Alexandro comparari exambit. Cui si quam Respondens Doctrinæ & Eruditionis gloriam cedit, illa erit hoc uno, comprehensa Paulino Epiphonemate. *Nos Stulti propter Christum.* Causa quæ Respondentem, non *in arenam*, ut verba ejus sonant, *detruderet ad certamen*, sed potiùs invitaret, ad detegendam veritatem, ut primò, Lemmate promisit; debuerat esse *ipsa Veritas*: ut nimirum homines *deponentes mendacium*, *loquantur Veritatem.* Eph. 4. utpote quæ *Principium Verborum DEI est: Cùm autem Principium verborum* (DEI) *veritas sit, veritas utique fidei fundamentum est?* ait D. Aug. Serm. 20. in Psal. 118. de qua etiam Pythagoras ajebat: *Post DEUM veritatem colendam, quæ sola DEO homines proximos faciat.* Apud Hieron. epist. 128. adversùs Ruff. At *conatus Scrutatoris* Veritatis velle *reprimere*, est velle indaginem Veritatis premere, quin ipsam veritatem supprimere. *Quâ tamen ipsâ quid admirabilius? quid speciosius veritate? ad quam omnis Spectator, se pervenire cupere confitetur; cùm vehementer ne fallatur, invigilat, & inde se jactat, si quod auctius cæteris & vivacius in spectando cognoscat & judicet.* S. Augustinus de vera Relig: Egregia denique virtus Respond: elucet in eo, qui cùm existimârit fortè, ut *Scrutinium alienum doctiores alii, suo Scrutinio indignum*, altiori scil: supercilio *judicarent*, ipse tamen sua prætoria Censura haud indignum decerneret.

Magna causa indagandæ veritatis fidei ipsa veritas.

Capite secundo Iniquitatem Scrutatori appingit Respondens, idque ob has rationes. *Iniquum* ait esse, *quod suppresso nomine invadat.* At haud sanè invadit quen-

Rationes Iniquitatis Scrutatori affictæ refelluntur.

quam, sed modestè veritatis Scrutinium, ut ad omnes pervadat, promovet & perurget. Quod verò id faciat suppresso nomine, nihil in hoc iniquitatis. Prælusêre & præluxêre illi exemplo tum alii, tum præcipuè eandem causam agitans ante mille & aliquot centena annorum Victoriosus vel è suo nomine Vincentius Lirinensis, qui præclarum opusculum suum sub nomine *Peregrini adversùs profanas hæresium novitates* edidit. Quin si iniquus audit Scrutator, quia suppresso nomine comparuit, igitur iniqua audiat & Confessio Augustana, necesse est, quæ primùm suppresso nomine Typographiæ, quâ & loci in quo procusa, Teste Andrea Fabricio Harmoniæ Confess. Augustanæ in Prooemio ad Lectorem. Scripta quæ à Concilio Tridentino sess. 4. prohibentur edi sine Autoris nomine, addo & sine licentia Superiorum Ecclesiasticorum, sunt ipsi Scripturæ libri & super illis annotationes & expositiones quorumcunque indifferenter. Cæteros libros de rebus Sacris sine Autoris nomine, ob certas & justas rationes, nihil impedit edi, modò & hi ab iis, ad quos id spectat, examinati probatique fuerint. Quanquam hic Scrutator unius phyluræ, fuerit solùm velut prodromus ipsius pleni operis cum approbatione Censorum & Facultate Superiorum lucem brevi aspecturi. Ejusmodi scripta non Catholica, sed Hæretica Hosio teste, olim terris Catholicorum invehi prohibebantur. Quin Respondentis & similium scripta etiam præfixo nomine, quæ contra Ecclesiam Catholicam pugnant, inferri Poloniæ Regno prohibita sunt Edictis Regum. Lege Edictum Sigismundi 1. Anno 1520. Torunii emanatum, ubi Rex prohibet inferri *nonnullos libellos cujusdam fratris Martini Lutheri Augustiniani.*

ni. Item ejusdem Sigismundi I Edictum Cracoviæ Anno 1525. ubi inter alia ait. *Nos pro Officio Christiani Principis eam ipsam Religionem à SS. Patribus ordinatam ac per Ecclesiam Sanctam Romanam directam, Nobisque in Majoribus Nostris per manus traditam, ac per nos denique ad Gentes Nostras multo sangvine & clarissimis Gratiâ DEI victoriis hactenus defensam, etiam à labe hæretica his temporibus in vicinia emergente integram & immaculatam à Regno & Dominiis Nostris conservare volentes, publicis edictis Mandamus, ne quidam Lutheri cujusdam libri, ejusque Sequacium quorumcunque, quos sua insolentia in reprobum egit sensum, quiqui prætextu libertatis Christianæ, prætextu vitiorum Ordinis Ecclesiastici, & scandalorum, quæ in hominibus fieri necesse est, tanquam sub melle virus suum in vulgus spargunt, & Scriptis, & sermonibus famosissimis non solùm mores salubres, & institutiones Ecclesiasticas, sed ipsos etiam SS. P P. proscindunt, & Sacra Profanis miscent, ad regnum & Dominia Nostra inferrentur & legerentur &c.* Lege ejusdem Regis Mandatum, datum Christophoro Szydłowsky Palatino Cracoviensi eodem anno 1525. Taceo alia Edicta, ut & ejusdem filii Sigismundi Augusti, ne longus sim.

Libri Lutheri ejusque sequacium edicto Regum Poloniæ præcipue Sigismundi I. Regno invehi prohibiti.

VI. Discat ex his Respondens, quænam olim Scripta terris Catholicorum prohibebantur invehi, & præsertim Poloniæ Regno, seque in eorum censu cum suo Antesignano Luthero esse agnoscat, non Scrutatorem. Cœtera quæ ibidem adducit, nimiam ac minùs ad rem pertinentem indicant Respondentis solicitudinem, in declarando Autore Scrutatoris esse *non quempiam Enthusiastam seu Atheum*, sed *Pontificiæ Religioni*, ut ille vocat, *addictum*, seu *Pontificium*, quod appellativum nomen sæpiùs repetit. Quo ipso nomine ostendit Nos verè esse Catholi-

tholicæ Orthodoxæ & Apoſtolicæ fidei cultores: Nos enim ſoli vel in hoc Papæ & Pontificum Romanorum nomine fidē Apoſtolis continua ſucceſſione usque ad nos derivatam, demonſtramus, quam ſucceſſionem veræ Chriſti Eccleſiæ notam agnoſcunt SS. PP. *tenet me*, ait D. Auguſtinus inter alios, *in Eccleſia Catholica ab ipſa ſede Petri Apoſt. usque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum* contr. Epiſt. Fund. c. 4. id quod fuſiùs in Scrutinii 2. Parte pag. 267. declaratum. Qua manifeſta Orthodoxæ fidei & Eccleſiæ demonſtratione deſtituitur Reſpondens pro ſua Auguſtano-Lutherana.

Haud iniquus Scrutator, quod novam Confeſſionem fidei à quopiam editam, adducat.

Iniquum, ait Reſpondens *eſt, quòd Scrutator ab illis aliquid poſtulat, qui nunquam in rerum natura exſtiterunt: De cœtu hominum, à fidei purioris Confeſſione denominatorum loquor*; verba ſunt Reſpondentis. Poſtmodum verò ejusdē Confeſſionis Theſes decem compendio adducit. Tum ait: *de tali hæreſi non potuiſſe reſciri ab ullo in Anglia & Belgio habitante: Nihilominus Lectori non prorſus obeſæ naris ſubolere ex ipſa, quæ Theſibus ſubjicitur amici Amſtelodamenſis ad amicum Londinenſem Anonymum Epiſtola Confeſſioniſtas novellos à terra Magellonica propè Pſittacos illos habitare, quorum Rex aliquando pro ſocietate Religionis ad Cromvellium Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ, Protectorem, Legationem adornabat, idque confirmat; quia de illa Conferentiarum 27 Acta &c. primum ab Anonymo publicata, tum & in Vallenburchicorum operibus inſerta reperiuntur.* Confeſſionem hanc puriorem Evangelicam in Scrutinii parte 1. Diſcurſu 12. prout eſt edita appono ea de cauſa, ut demonſtrem eſſe poſſibilem novam fidem, Confeſſionem, ſeu Doctrinam ex S. Scriptura deſumptam, quia de facto talis eſt hæc Confeſſio. Quiſnam verò illius ſit Autor, & an talis inveniatur

Secta

Secta, non constat. Respondens non obesæ naris subolet propè Psittacos, natam, fortè, quod ipsum in Scrutinii parte 1. Discursu X. p. 87. adducitur à quopiā è Quakeriana secta conficta, & in vulgus suppresso nomine primum sparsa, qui si fortè videret quospiam eandem arripientes & Sectantes, tum primùm se se Autorem illius manifestaturum, aut denique id, quod mihi eandem Confessionem legenti & relegenti sæpiùs, atque trutina mentis penitiori ponderanti, occurit, quispiam è Catholicis eam confinxit, ut ostenderet S. Scripturam solam exclusa Ecclesiæ autoritate non posse dici & teneri pro unica Regula, Norma, ac Judice fidei, siquidem ex illa aliter & aliter intellecta & explicata, nova dogmata, novæ Confessiones & novæ hæreses confici possunt. Sed ut ut sit de Autore illius, satis est quòd lucem aspexerit, eo planè modo nova & è tenebris producta, quo quæcunque alia Dissidentium hodiernorum Confessio, de quibus ante tot retroacta secula Majores nostri ne somniârunt quidem: Nam nullus ante illarum Autor in rerum natura exstitit, nullus, qui illas tenuerit ac docuerit. Cùm itaque Scrutatoris propositum fuerit, omnes vias indagandæ sagaci Scrutinio unicæ tot inter Religiones Veritatis inire; Verè iniquè audit Respondenti *iniquus*, quòd etiam hanc, quæ primùm lucem aspexit Confessionem puriorem, ut se vocat, etsi incerto autore editam, in suis postulatis ponat. Quis meritò Præfecto Monetario succenseat, eumque iniquum asserat? qui novum nummū etsi unicum, quia tamen aliis, qui ex Monetaria non prodiêre, haud absimilis repertus, ad Lydium lapidem unà cùm aliis tam adulterinis, quàm probatis conferat?

Nec exinde iniquus Scrutator, quod alios titulos Episcoporum & Archiepiscoporum omiserit.

VII. *Tertiò iniquum est*, inquit Respondens, *quòd cùm Pontificius sit Scrutator atque ad omnes rigido Aquiloni subjectas & à Romana Ecclesia Dissidentes mundi oras mitti se patiatur in ipsa allocutione, Titulos Episcoporum, & Archiepiscoporum omisit.* Ostendit hoc Paragrapho Respondens, quòd ut Pharisæi ad redarguendum Christum Dominũ, omnes vias quæsierant; ita & is, unde unde conquirit argumenta, ut iniquitatis accuset Scrutatorem. Ergone iniquitatis redarguendus Orator? qui non omnes omnium Auditorum titulos exprimens reliquos, compellando his verbis complectitur, *cæterique Titulis suis Ornatissimi.* Atqui hoc Scrutator præstitit, cùm omnes Dissidentes alloquens, reliquorum titulos complexus ait, vel *quocunque nomine intitulatos. Item cujuscunque tandem nominis aut Tituli, Ecclesiarum, seu Religionum seu Sectarum, aut communitatum homines.* Poterat igitur Respondens sub horum mentione & titulis etiam suos Episcopos & Archiepiscopos subintellexisse. Ad hæc iniquus Scrutator Respondenti, quia haud nominavit Episcopos, Archiepiscopos, atqui & Diaconos & Capellanos, quorum etiam apud Lutheranos non postremus Ordinis Gradus habetur, subticuit: igitur etiam ex hoc capite iniquus? Quis verò longum illum Catalogum recenseret Titulorum? quem pro libitu suo quique in sua Religione usurpant? Denique meretur veniam Scrutator, qui non de titulis longo ordine recensendis, quod aliquam mundi vanitatem sapit; sed de veritate investiganda, quod salutem æternam adfert, est solicitus. Quamobrem licitum ei fuerat, etiam uno hoc nomine *Dissidentium inter sese, atque à Romana Catholica Ecclesia* omnes compellare cœtus, ut unusquisque suæ fidei reddat rationem. *Haud*

expirâsse in suis Ecclesiis Titulos Episcopi, Archiepiscopi, ait Respondens: mirùm profectò cùm exspiraverit vetus fides Ecclesiæ Romanæ Catholicæ, à quâ in his Septentrionis oris Episcopatus, Archiepiscopatus fundati sunt, nominati titulis, proventibus dotati, & ditati; Fortè vel ideò haud expiravêre hi tituli, aliquando ad tot suspiria Catholicorum in illis Episcopatibus & Archiepiscopatibus, sedibus & ædibus respirabit ille primævæ Ecclesiæ ac fidei Catholicæ spiritus, quo primùm isthic ab idololatria conversi fideles spirare cœperunt. Quod faxit ille spiritus Domini, *qui replevit orbem terrarum, ut hoc quod continet omnia, habeat scientiam vocis* veræ Catholicæ fidei, & Unitatis.

VIII. *Iniquum*, adhuc, ait Respondens, *imò iniquissimum, quòd Scrutator in illos, quibus prior litem intentavit, onus probandi devolvit postulans, ut nobis id competere demonstremus, quod ille nobis non competere sine demonstratione, saltem tali, qualis à nobis exigitur, asserit.* Omnem hac in re, quam sibi imaginatur Resp. iniquitatem sustulit Scrutator, sat superque in editi jam à se Scrutinii veritatis fidei parte 1. Ubi manifestè demonstrat nullam hodiernarum Sectarum, adeoque nec Lutheranam pro se sola probare posse id, quod postulavit ab omnibus nec de facto præstitisse Soc. demonstrabit. *Neque ideò iniquus, quia onus probandi devolvit in Adversarios.*

Quin imò ait *porrò iniquum est, quod Antagonista non tantum postulata, ut nobis ista, de quibus agitur, competere ostendamus, verùm etiam ut pro Diffidentibus soliciti, demonstremus, eadem non competere aliis* &c. *Nobis (per Scrutatorem) curare nostra liceat, de aliis cum Apostolo dicere: Quid ad nos, illi, qui foris?* Cor. 5. 12. Et hic Respondens merè imaginariam iniquitatem prætendit: Supponit enim Scrutatorem

rem requirere sollicitudinem à se pro cœteris Dissidentibus; cum tamen, ut eam *pro se quisque virûm* potiùs habeat, requirat: & si id haud possit fieri sine relatione ad cœteros, idque propter communionem unius ejusdemque Principii omnium; æquissimo proinde Scrutator jure postulat à quavis Religione, adeoque & à Lutheranis sigillatim, ut demonstrent v. g. Verbum DEI Scriptum solius Luther. Religionis esse unicam adæquatam Regulam argumento ex S. Scriptura desumpto, quod scil. nulli alteri de jure competat, tum quia id est illorum Principium ac fundamentale assertum; igitur ab illismet probandum: quod autem quis asserit, id si cum ratione recta negetur, omninò illi probandi incumbit necessitas; aliàs suâ causâ cadit. Tum quia idipsum tanquam primũ principium suæ fidei asserunt aliæ heterodoxæ ab illis Religiones, quas cùm reiiciant Lutherani, negentque eas esse Ecclesias; consequens est, quòd etiam reiiciant, negentque illorum primum Principium; atque adeò idipsum se ita habere probent Lutherani, est necesse; idque argumento tali, quod nullo jure pro se cœteræ quas reiiciunt Religiones, usurpare queant: & Ratio est, quia nisi tale argumentum adferant, semper dubium manebit, utrinam Religioni ex omnibus uni, ê vero competat dicta fidei Regula, cœteraque quæ Scrutator postulat; cùm æqualiter omnes sibi adscribant dictam Regulam fidei, ejusque authenticam versionem, interpretationem, seu sensum, & cœtera, quæ in Postulatis proponit: ac per Consequens fideles erant velut arundo agitata, nescientes cuinam parti potiùs adhæreant?

Denique id quod Respondens ait, *ut per Scrutatorem sibi liceat sua curare, & de aliis cum Apostolo dicere: Quid*

ad

ad nos illi, qui foris? Omninò vel maximè id urget Scrutator, ut Respondens sua curet, probetque pro virili & pro suæ æquitate causæ, si quâ gaudet, suæ soli Religioni, cùm eam defendendam susceperit, ea omnia & singula quæ postulat, competere. Ut verò permittat Scrutator eum dicere cum Apostolo: *Quid ad nos illi, qui foris sunt?* permittit ille sanè, sed cum addito, quod Respondens subticuit; scripsit autem D. Paulus scil: *Judicare*: sic enim eo loci ait. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* idque intelligit de infidelibus, ut glossa interlin. ap. Lyranum notat, non fidelibus Christi Nomine insignitis, quòd scil. non sint judicandi, *DEUS enim*, addit, *eos judicabit*: non autem ait, quòd non sit solicitudo adhibenda circa illos, *qui foris*, convertendos, cùm id ipsemet fecerit, prædicando, docendo, scribendoque &c. imò ad hoc Christus Dominus testatur à se vocatum & electum Vas illud fuisse, *ut portaret nomen suum coram Gentibus:* ipseque Apostolus agnoscit sibi *creditum esse Evangelium ad convertendas Gentes.* Gal. 27. Neque insuper D. Apostolus excludit solicitudinem pro fratribus, qui scil. errant, aut in Schismate sunt, ut reducantur ad unitatem fidei, ait enim 1. Cor. 12. 25. *Ut non sit schisma in corpore, id ipsum solicita sunt membra*, scil. Ecclesiæ, & Ephes. 4. 3. *Soliciti servare Unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum Corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum Baptisma &c.* Ubi ad unitatem vel maximè hortatur Christianos Apostolus, utque circa illam soliciti sint, monet. Et aliàs Rom. 12. vult, ut *simus solicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Charitate invicem diligentes, idipsum invicem sentientes.* Discat igitur Respon-

Solicitudo pro aliis, qualis habenda.

ſpondens Paulinam veram ſolicitudinem pro aliis in Schiſmata diſſectis, ad unitatem fidei reducendis, quod utique curæ & cordi habet Scrutator.

Reliquæ iniquitates Scrutatori à Reſpondente objectæ, referuntur & refelluntur.

IX. *Sexto* inquit, *iniquum eſt, quòd Scrutator ad iſta nos reſpondere jubet, ad quæ Noſtrates plus millies reſponderunt.* Sic eſt, reſponderunt, aſt ita, *ut in abruptum Diſputationis venientes* (verba ſunt D. Ambroſii in Lucā:) *hæſerint in vado*, manſerintq; conſtricti in puteo. Reſpondiſſe non ſatis eſt, niſi ad rem reſpondeas, nodumque propoſitum reſolvas; quod utique illi millies reſpondentes, millies haud præſtitêre: millies enim in ſuis reſponſionibus non reſpondent ad ſtatum quæſtionis, quæ ignorantia eſt Elenchi: millies hoc ipſum, quod reſpondent, eis probandum incumbit; quod eſt Petitio Principii: millies denique recurrunt ad mille convitia, cavillos, calumnias, & Crimina falſi,] quibus S. Matrem Eccleſiam Catholicam Romanam ejusque filios, ſupra modum onerant, quod haud eſt ingenui ingenii, honeſtæve mentis, & eorum duntaxat, quibus deſunt argumenta è veritatis promptuario.

7mo. ait: *Iniquum eſt, quod in tam paucis pagellis crambem eandem, vel non multò aliter coctam ſæpiùs recoquit, atque ita requirit, ut tempus utilioribus negotiis collocandum, næniis recantandis impendamus.* Itanè Reſpondenti eſt crambem recoquere? dum variis viis unica veritas, in tot Sectas non ſine diminutione diſtracta ſolicitè inquiritur? Fortè ideò crambe illi videtur, quia ut ait S. Hieronymus Tom. 2. adversùs Jovin: Libro 2. ante finem. *Amara eſt Veritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine.* Item Tom. 2. Lib. Dialog. advers: Pelag. *Veritas amara eſt rugoſæ frontis, & triſtis, offenditque Correctos.* Unde & Apoſtolus Gal. 4. *Inimicus factus ſum, verita-*

ritatem dicens Vobis, & Comicus; Obsequium Amicos, Veritas odium parit. Quamobrem ut Pascha cum amaritudinibus comedimus Exod. 12. Et Apostolus docet, Pascha celebrandum in veritate & sinceritate. Veritas in nobis, & sinceritas, & amaritudo illicò consequetur. Existimat Resp. *tempus utilioribus negotiis collocari posse.* Ego verò censuerim non posse tempus impendi utiliori negotio, quàm cognitioni veritatis; ab hac enim salus & omnis humana pendet beatitudo. Et quia unica nonnisi est, tot verò diversæ Sectæ eam sibi hodie vendicant, certè non *recantantur næniæ*, cùm repetitò urgetur ac sæpiùs requiritur ab iisdem, ut aliqua saltem ex omnibus demonstret, Unicam veritatem sibi soli, nec ulli alteri, competere. Multum enim interest, inter Veritatem sinceram & fucatam; illam in una solùm Religione sedem fixisse, hanc cœterorum occupâsse mentes, necesse est. Quis proinde rectè inficiabitur, parcendum videl: esse labori in sincera, non adulterina Veritate vestiganda? Cetera iniquitatis argumenta, ut vana mentis commenta præterimus.

CAPUT III.

Argumentum Scrutatoris, quod Respondens vocat Generale & fundamentale, subsistere firmiter declaratur.

1. ID quod initio Tertii Capitis, & aliàs Respondens affingit non sine injuria, Scrutatori, eum scil. *Sophistarũ more agere*, sibi è verò adscribere debebat: Sophista- *Scrutator non agit Sophistarum more.*

rum enim litigiosorum est nodum quærere in Scirpo, omnemq; occasionem venari, quâ arguant, criminentur, & ungui carboneq; notent insontem, id quod magistraliter præstat Respondens. *Perturbatè argumenta collocari* à Scrutatore ait, eo quòd non sint juxta Dialecticas Regulas disposita, tali structura, quali Resp. se eadem disposuisse sibi persvadet, & complacet. Sed facilè agnoscere potuit Scrutatorem noluisse argutulum Dialecticum agere in perscrutanda Veritate, sed potiùs propositi sui fuisse simplici stylo eandē utpote simplicem & nudam 12. Postulatis inquirere. Quæ quidem Respondens more Dialectico in argumentationis formam redegit, generaleque imprimis & fundamentale argumentum conflare contendit, sed ita, ut pro sua Religione nihil, nisi actum egerit.

Hoc quod Respondenti est Argumentum Generale & fundamentale Scrutatoris proponitur.

II. *Ponamus* enim 1. Scrutatorem, ita argumentari, quemadmodum vult Respondens: ut hæc sit Major Principalis: *Quicunque à Pontificiis* (id est vel hoc nomine Catholicæ Ecclesiæ filiis) *dissentiunt, & ad Scripturam ceu unicam credendorum Regulam & Judicem provocant, nec tamen argumentis apodicticis ex ipsa Scriptura petitis satisfacere 12. à Scrutatore Oppositis* (quin veriùs propositis) *Postulatis nequeunt; eorum Religioni nemo securâ conscientiâ adhæserit*; Minor hæc sit) *Atqui Augustano-Lutherani, & quicunque à Pontificiis i. e. Ecclesia Romana Catholica dissentiunt &c. 12. Postulatis satisfacere nequeunt. Ergò nulli eorum Religioni quisquam securâ conscientiâ adhæserit.*

Major Argumenti cui probandi, competat, ostenditur.

Argumenti Majorem vult Respondens probandam fuisse à Scrutatore: sed non habebat id opus facere eò loci, ubi proponentis, non probantis partes agebat, probationes ipsas in Scrutinio Veritatis paratas & instru-

ctas

ctas habens. Cùm tamen Resp. eam neget, velitque à Scrutatore probari, in promptu erit probatio. Itaque

Probatur 1. Quia si quicunque à nobis dissentiunt, ea, quæ in Postulatis Scrutator desiderat, probare nequeunt, sibi solis competere, idque argumento convictivo ex S. Scriptura petito, evidens est eis illa, quæ Scrutator in 12. Postulatis ponit, nequaquam competere: Si enim competerent, probari & deduci deberent, argumento ex S. Scriptura, utpote unica suæ fidei Regula & Judice desumpto. Et quia eadem sunt fundamenta & bases uniuscujusque Religionis: ea enim sola in Postulatis attinguntur; Ut de Verbo DEI, de Ecclesia, Ejusdem notis, de Ministris, de Reformatione Ecclesiæ, de Libris Dogmaticis, de Symbolo seu Confessione fidei &c. Si hæc non competant alicui Religioni, quis meritò secura conscientiâ illi adhæserit? Ita planè sicut si quis se dicat esse Sacerdotem aut Episcopum novæ Legis, nec possit probare se legitimè vocatum, missum atque institutum, quis meritò tali Sacerdoti vel Episcopo adhæserit, suamque conscientiam ac salutem crediderit? Item si quis asserat se legitimi thori filium, id tamen in lege fundatis testibus atque testimoniis nequeat deducere, quis tali legitimi filii nomen & jus pro merito concedat?

Prob. *2dò* ? Quæro ex Respondente, An quispiam prudenter & bonâ conscientiâ possit adhœrere tali Religioni, quæ fundamenta suæ Religionis non possit probare, ex assumpto à se primo Principio suæ fidei S. Scriptura? Potestne ipsemet Respondens bonâ conscientia asserere & propugnare id, quòd tali Religioni quisquam prudenter & bonâ conscientiâ adhœrere possit, & debeat? Si potest, nescio quale ens sit ejus conscientia? si non

potest: Eccur tanto conatu vult Scrutatori impositum onus prædictam Majorem probandi, quam ipse agnoscit non posse bonâ Conscientiâ asseri, propugnari, & defendi? Denique à se ipso onus eandem probandi revolvere conatur, sed velut Sisyphi lapidem, quia ex quodã præjudicio suæ causæ, quæ nondum deducta manet, supponit enim eos, qui Augustanæ Confessioni subscribunt, duas tantùm veræ Ecclesiæ & Religionis notas admittere, nimirum *puram Verbi DEI prædicationem*, & *legitimam Sacramentorum administrationem*: *quibus cùm alias notas* (verba sunt Respond.) *vel planè peregrinas adjunxerit Scrutator*, *agnoscet ut opinor* (sua nimirum propria opinione, ac vel ideò erronea) *necessitatem probandi Majorem ipsi incumbere*. At quid hoc ad propositum? Quæ, obsecro hæc Consequentia? Veræ Ecclesiæ & Religionis notæ sunt per Lutheranos. *Pura Verbi DEI prædicatio*, & *Legitima Sacramentorum Administratio*. Ergò necessitas Demonstrandi Majorem incumbit ipsi Scrutatori scil: quòd nemo illi Religioni seu Ecclesiæ adhœserit prudenter & securâ conscientiâ, quæ nequeat probare ea, quæ in 12. Postulatis requirit Scrutator, idque argumento ex S. Scriptura petito, nulli alteri competente? Taceo, quòd Puram Verbi DEI Prædicationem, & Legitimam Sacramentorum administrationem ipse Respondens non omninò nisi conjunctim probat esse sufficientes notas veræ Ecclesiæ. Taceo, quòd has ipsas duas notas attingat Scrutator in Postulato 6 & 7, ostendatque non posse Lutheranos pro se solis demonstrare, quòd illis solis, cum exclusione aliorum heterodoxorum competant, idque argumento ex S. Scriptura desumpto, quod nullo jure etiam pro se heterodoxi usurpaverint. Taceo denique, quòd cùm Major illa univer-

sali-

faliter procedat, & folùm in Minori Argumenti fubfumi debeant Religiones & Sectæ in particulari, quòd fcilicet id, quod 12. Poftulatis petitur, nequeant demonftrare: fruftra Refp. in Majori immifcet fuam Auguftanam Confeffionem. Fruftra denique cenfet eandem Majorem probandam effe Scrutatori: facilè enim onus ejusdem probandæ revolvet in Refpondentem dicendo, non poffe ab eodem probari, quod quisquam prudenter & fecurâ Confcientiâ adhœferit illi Religioni, quæ in duodecim Poftulatis requifita, nequeat probare argumento tali, quale ibidem defideratur. Quodfi neget, non poffe id probari; Probet igitur. Vides hìc revolvi onus probandi illam Majorem in ipfum Refpondentem.

III. *Ponamus* 2. ex allata Majori fequi hanc Minorem. Atqui *Auguftano-Lutherani, & quicunque alii Diffidentes à Pontificiis* (i. e. Catholica Romana Ecclefia) *nequeunt argumentis apodicticis ex S. Scriptura fumptis fatisfacere 12. Poftulatis à Scrutatore Veritatis propofitis.* Probatio ejusdem à Scrutatore allata eft bona, firma, & inexpugnabilis, nimirum hæc, quia *cùm tam Lutherano-Auguftani, quàm Calviniani, & cæteri Diffidentes Neo-Evangelici folam S. Scripturam pro Norma, Regula feu Judice fidei, exclufa Ecclefiæ Catholicæ autoritate ponant, quicquid pro fe folis v. g. Lutherani ex eadem attulerint, idem fibi appropriabunt, imò defacto appropriant, Calviniani & cæteri omnes.* *Minor ejusdem Argumenti expenditur.*

Hanc probationem haud fubfiftere afferit Refpondens ex ea ratione: *quafi* inquit *Orthodoxa Thefis propterea ex S. Scriptura, ceu unico principio demonftrari nequeat, quia in eadem controverfia heterodoxi idem principium pro fe allegant.* Ad quam rationem *Dico* inprimis, hac refponfione *[Nullus Diffidentium fuam Thefin fidei probare poteft ex fola S. Scriptura.*

Idque declaratur 1. ſione peti principium : de hoc enim ipſo quæritur, an hæc vel illa Lutherana v. g. Theſis ſit Orthodoxa? Siquidem Calviniſta v. g. oppoſitam ſuam Theſin pro Orthodoxa habet, Lutheranam verò pro hetorodoxa & hœretica. v. g. de præſentia reali Corporis & Sangvinis Chriſti in Evchariſtia. Contendas probare tuam eſſe Orthodoxam ex S. Scriptura, ex eadem ſuam oppoſitam probat Calviniſta, uterque eodem S. Scripturæ principio utitur, & non eandem, ſed diverſam Concluſionem ſeu Dogma & articulum fidei ex eodem infert: quomodo igitur tua potiùs erit Orthodoxa Theſis, & non oppoſita Calviniana?

Id declaratur 2do. Deinde duplicis generis Theſes fidei dari poſſunt. Quædam, in quibus Diſſidentes Religiones conveniunt; quædam, in quibus diſconveniunt. Theſis Principalis & fundamentalis, in qua conveniunt omnes, eſt hæc: *Sola S. Scriptura, excluſa Eccleſiæ autoritate, eſt Norma, Regula, & Judex fidei*: hanc utique ſtatuunt & Lutherani & Calviniſtæ, & Sociniani, & cæteri, ſed ita ut v. g. Lutherani ſtatuant eam eſſe, Regulam & Judicem, qui decernat pro ſuæ duntaxat Religionis Theſibus & dogmatibus, ſeu articulis, quòd ſcil. illi Soli ſint Orthodoxi, ſecùs Calviniſtarum & cœterorum. Atqui idem aſſerunt pro domo ſua Calviniſtæ, idem cœteri. Quomodo jam Lutheranus hanc Theſin principalem & primariam, probabit Orthodoxam eſſe pro ſua ſolùm Religione? hoc ipſum quomodo probabunt alii pro ſe ſolis? Probationes enim, quas pro ſe adducunt v. g. Lutherani, easdem defacto pro ſe allegant Calviniani, & cœteri. Ut Iſaiæ 8. 20. *Ad legem* &c. Joan: 5. 39. *Scrutamini Scripturas* &c. Act. 17. 11. *de Beroënſibus &c.* Stat igitur illa noſtra

ſtra minor cum ſua probatione. Econtra non ſubſiſtit Ratio allegata Reſpondentis.

Aliæ verò Theſes dantur, in quibus Diſſidentes diſcoveniunt, & ad probandas quòd ſint Orthodoxæ, recurrunt etiam ad idem principium ſcil. S. Scripturam, verùm jam non eoſdem Textus allegantes, ſed diverſos vel etiā, oppoſitos aut prorſus nullos adducunt, quando præſertim ſunt theſes, ſeu articuli negativi. In his eodem modo quæro ex Lutheranis, quomodo probabunt v. g. ſuam Theſin Orthodoxam eſſe *de Cœna Domini*; Calviniſtarum verò heterodoxam & hœreticam, ex illis Textibus Scripturæ, quos illi communiter allegant, cùm Calviniſtæ & hos allegent aliter autem, quàm illi intelligant, explicentque & inſuper alios ſcripturæ diverſos textus adferant, pro ſua theſi, voluntque ideò eſſe Orthodoxam. Clament hìc millies Lutherani ſe pro ſua theſi habere clarum ſcripturæ textum: clamant contra millies Calviniſtæ, etiam ſe habere pro ſua Theſi claros Textus, Utra igitur amabò! harum Theſium erit Orthodoxa? Utri potior danda fides? Stat itaq; noſtra Minor cum ſua probatione, cadit ſuâ causâ Ratio Reſpondentis.

IV. Numero ait Reſpondens. *Quisquis ita philoſophatur, is methodum diſputandi à Christo, Apoſtolis, & primitivæ Eccleſiæ Doctoribus uſurpatum incuſat.* Aſt hæc dicendo, nondum rem tetigit acu, nec nodum difficultatis diſſolvit. *Salvator quidem noſter*, ait Reſpondens *contra Saducæos Moſis autoritate fretos, reſurrectionem mortuorum ab illis negatam ex Moſe adducit:* at huic probationi ex Moſe etiam ſuam autoritatem à vita & miraculis adjecit? at alibi etiam Eccleſiam audiendam præcepit. *Qui non audierit*

Quæ methodus fuerit diſputandi Christi; Apoſtolorum & Doctorum primitivæ Eccleſiæ.

Christus D. jubet Ecclesiam audiendam esse.

erit: Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Matth. 18. 17. Nimirum etiã ubi dubius est inter partes sensus de thesi aliqua, non tantùm adeunda est S. scriptura, sed & audienda Ecclesia: ait enim: *Si in te peccaverit frater tuus* &c. peccatum autem est non leve, error in fide, si illo frater in diversum abducatur sensum ab alio fratre. Ut igitur Veritas Theseos pateat, Magistra Veritatis Ecclesia audienda. *Similiter*, addit Respondens, *Paulus Judæis veteri Testamento utentibus passim in Epistolis Vetus Testamentum efficaciter obvertit.* Sed simul Christianis tenendas etiam traditiones Apostolicas docet 2 Thessal: 2: 14. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per Epistolam:* quo loco Ecclesiam tradentem nobis aliqua credenda & tenenda, quæ in sacra Scriptura claris haud sunt descripta verbis, audiendam præcipit Apostolus è mente & sensu D. Chrysostomi in hunc locum, dicentis: *Hinc est perspicuum, quòd non omnia tradiderunt Apostoli per Epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quæ sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus fide dignam esse. Est traditio, nihil quærat amplius.* Quo sensu eadem verba S. Pauli accipiunt Epiph: hœres: 61: D: Basilius de Spiritu S. l. 8. c. 27. Damasc: l. 4. c. 17. & ceteri SS. PP. à nobis fusiùs citati in Regia Via Manud: 3.

S. Paulus docet Traditiones tenendas.

V. Unde Hilarius à Respondente allegatus nihil contra nos facit: nam imprimis optimè laudat Constantium Imperatorem, *quòd fidem tantùm secundùm ea, quæ scripta sunt, desideret*, sed quis ille fuerit, qui fidem tantùm secundùm ea, quæ scripta sunt desideranti Imperatori exposuerit? Numquid quispiam privatus ex ordine Episcoporum Arianorum, quibus adhœrebat Imperator, & non

non potiùs Ecclesia Catholica Apostolicæ Traditioni velut tritæ jam Patrum Vestigiis viæ insistens? Quod ipsum patet ex ejusdem ad eundem Constantium libr. I. dictis. *Utitur autem* (supple Imperator Constantius) *etiam nunc & in cæteris ante artis suæ consuetudine, ut per recti speciem prava confirmet, & per rationis nomen insana constituat.* Quæ autem sit illa *recti species?* quod *rationis Nomen?* exponit, *Nolo, inquit* (Constantius) *verba, quæ non scripta sunt, dici.* En recurrit ad S. Scripturam, tanquam unicum principium fidei, ad quam solam & Respondens recurrit. At quid ad id D. Hilarius respondeat, audiamus? *Hoc tantum rogo, quis Episcopus jubeat? & quis Apostolicæ prædicationis vetet formam?* Et hic S. Pater Imperatorem ad Episcopos, Ad Apostolicæ prædicationis formam remittit, quæ utique per nusquam interruptam traditionis seriem semper in Ecclesia viguit. Idque paulò post confirmat; cùm enim dixisset. *Novitates vocum, sed profanas devitari jubet Apostolus, cur tu pias excludis?* addit in Ecclesia aliquas voces novas usitatas esse, quæ non leguntur scriptæ in S. Literis, sed ab Ecclesiæ autoritate per traditionem habentur, qualis est vox, quæ de DEO Patre dicitur scil: *Innascibilis: Innascibilem*, ait, *Scriptum nusquam legis, Numquid &c. hoc negandum erit, quia novum est? Decernis filium similem Patri: Evangelia non prædicant: quid est quod non refugis hanc vocem?* & infra repetit idem. Recurrit deinde ibidem ad Autoritatem non solius Scripturæ, sed Concilii Niceni. *Taceo cur nostra apud Niceam, à Patribus gesta rescindis?* &c. Tandem alloquens Imperatorem hortatur non ad solam Sacram Scripturam; sed ad *Ecclesiæ Constitutionem*, ad *antiquitatem fidei, ad publicum Sensum*, quo hœretici damnantur, audi-

D. Hilarius Constantium Imperatorem ad Constitutiones Ecclesiæ reducit, non ad Solam Scripturam.

audiendum. *Audi*, ait *Verborum Sanctam intelligentiam. Audi, Ecclesiæ imperturbatæ Constitutionem! Audi, Patris tui professam fidem! Audi humanæ spei confidentem securitatem! Audi hæreticæ damnationis publicum sensum! Et intellige te Divinæ Religionis hostem, & inimicum memoriis Sanctorum, & paternæ pietatis hæredem rebellem.* Quàm præclarè hæc verba in Respondentem, & alios Ecclesiæ autoritatem repudiantes retorqueri possunt! Non igitur Hilarius *repugnat* Nobis, nec *primitivæ Ecclesiæ fuit hæc unica methodus usurpata*, ut inquit Respondens *ad solam S. Scripturam recurrere*, sed etiam ad Ecclesiæ, & Conciliorum autoritatem, & Constitutionem, ad Episcoporum & SS. Patrum Consensum, ad publicum deniquè sensum Fidelium, adeò ut S. Augustinus pro omnibus (longum enim esset omnes hoc loci recensere) manifestè pronunciet Epist: 118. *Illa autem quæ non Scripta sed tradita, custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri: sicut quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum anniversaria solennitate celebratur. Et si quid tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit Ecclesia. Denique* concludit, *Insolentissimæ insaniæ est, disputare an faciendum sit, quod totum per orbem frequentat Ecclesia.* Itaque SS. Patres primitivæ Ecclesiæ, & præsens Ecclesia Catholica Romana, & cum ea Scrutator rationem & officium normæ & regulæ passivæ adscribit S. Scripturæ, non autem normantis, regulantis, seu regulæ activæ, quæ scil. S. Scripturam explicet & applicet, Magistra Christi Domini vicaria autoritate his vel illis thesibus & articulis fidei: hujus enim officium obtinet ipsa Ecclesia

D. Augustinus Insolentissimam insaniam vocat, disputare de hoc quod totum per orbem frequentat Ecclesia.

Ca-

Catholica, quod fusiùs in 2 parte Scrutinii à nobis est declaratum & insuper in *Regia via.* Et hæc fuit semper methodus disputandi contra hœreticos primitivæ Ecclesiæ doctoribus usurpata.

VI. Ea quæ Respond. N: 6: adfert, non satisfaciunt. Nam quando sic argumentatur Scrutator, *Aut omnis hodierna Diffidentium Religio erit verè Apostolica, quia omnis recurrit ad idem primum principium, scil. S. Scripturam tanquam fidei regulam & Judicem, exclusa Ecclesiæ autoritate; aut nulla; quia nulla probare potest argumento apodictico, quod illi soli competat hoc principium, cæteris secùs, idq; tali, quo cæteræ heterodoxæ pro se nullo jure queant uti.* In hac inquam argumentatione semper tertium, quod necessariò exinde sequitur, medium supponit Scrutator, scil. aut si asseris *aliquam*, adeoque negas *nullam id probare posse*, ostende velut intento digito *quænam illa sit?* Quodsi eam esse Lutheranam asserit Respondens: hoc ipsum ne sine ratione asserere videatur, demonstret; sed dum demonstrare contendet, arma contra se heterodoxis subministrabit: & hoc demùm ipsum est, quod Scrutator ab eodem requirit, nec quicquam satisfactionis accipit. *Non satisfaciunt ea, quæ Num: 6. Respond: adfert.*

VII. Numero denique 7mo. Respond. nihil convictivi pro sua Religione attulit; Totum enim id, quod de eadem adducit, potest Calvinista, Socinianus, & cœteri modo proportionato sibi applicare: Dicere enim idem potest v. g. Calvinianus, quòd inquit Respond. nimirum *litem* seu *quæstionem fidei sub Judice Scriptura, seu Spiritu S. per Scripturam judicante dupliciter pendere posse, vel verè propter defectum Judicis, vel apparenter propter contumaciam & pervicaciam partis judicatæ, quæ se damnatam agnoscere recusat. Et hoc quidem posterius contingere posse, oportet* *Uti neque ea, quæ N. 7. allegat.*

 enim

enim hæreses esse. &c. *prius non item.* Qua quidem Respondentis discurrendi ratione ad ordinem posteriorum Lutherani à Calviniano rejicientur: quid verò ad hoc Respondens dicet? Quomodo probabit Calviniano, quòd cum sua Religione non sit è numero illius partis, *quæ propter contumaciam & pervicaciam, etsi judicata, se tamen damnatam agnoscere recusat?* Sententiam, quam ex S. Augustino adfert, integram Calvinianus sibi applicare potest, eodem planè modo, quo illam pro se usurpat Respondens. Certum igitur est, quod asserit Scrutator scil. quod cùm Augustano-Lutherani juxta ac reliqui ab illis diversi ad eandem S. Scripturam, ceu unicam credendorum Regulam & Judicem provocent, semper sub Judice lis erit, uter eorum in Litibus mutuis palmam obtineat? nisi tandem præter Scripturam, tanquam Regulam Passivam, ad aliam distinctam Regulam, ut ita dicam, activam, seu regulantem, Magistra Vicaria Christi autoritate explicantem & applicantem illam ad Regulata seu articulos fidei recurrant. Quod fusiùs declaratum *Scrutinii* Parte 2da & *Viâ Regiâ.*

CAPUT IV.

Discutitur Responsum ad Postulatum. I. II. & III.

I. GLoriatio hæc Respondentis, quod *Scrutatoris fundamentũ destruxit,* vana est, idipsum ex immediatè dictis apparet. *Nævos & strophas singulorum Postulatorum* nullas

nullas Respondens adfert, nisi quas ipse sibi imaginatur, quæ, ut aliàs contingit, vanis imaginum speciebus facilè dissipantur. Ad dicti veritatem accedamus.

Negat imprimis Respondens *Quæstionem primam & propter primam pariter secundam & tertiam. Rationem dat; Scriptura enim nobis est & esse debet unica sufficiens & adæquata Regula & Judex, sed non nobis Solis, verùm Omnibus omninò hominibus cujuscunque sint Religionis.*

Hoc Responsum cum sua Ratione *non satisfacit* Postulato. Nam imprimis hoc ipsum dicere potest Calvinianus, Socinianus, Mennonista, Quakerus, quisque pro sua Religione, adeoq; hac responsione petitur Principium. 2dò Committitur à Respondente fallacia ignorationis Elenchi. Nam non de hoc est Quæstio. *An scil. S. Scriptura sit sufficiens norma & Judex Lutheranis, ita ut simul sit omnibus hominibus Norma & Judex?* Sed, an solis Lutheranis præ cœteris sit norma, & Judex, cum hac scil. specialitate & energiâ, quòd cùm Lutherani dicant sua regulata, seu suæ Ecclesiæ confessionem fidei, ejusdemq; articulos esse verè Evangelicos & Orthodoxos, cœterorum quos reiiciunt secùs: An scil. hæc Regula & Judex, pro illorum duntaxat Confessione & Articulis fidei stet, definiat decernatque? An non? Si non? igitur eodem jure, quo Lutherana Ecclesia suam dicit confessionem, suos item fidei articulos esse veros & Orthodoxos, dicet idem Calviniana, Sociniana, & cœterorum Religio & Secta: quia eâdem Normâ & Judice gaudent: adeoque æquè cœteræ, quas reiiciunt Religiones, erunt veræ & Orthodoxæ. Si autem ita: Jgitur hoc ipsum probandum est Lutheranis argumento apodictico ex eadem S. Scriptura desumpto, idque tali, quod illis solis serviat. Et tale quidē Respondens argumen

An S. Scriptura sit unica Regula & Judex non Lutheranis solùm, sed & omnibus hominibus.

men

mentum haud adduxit. Deinde concesserim S. Scripturam sufficientem esse normam & regulam passivam: sed quæritur, an etiam simul sit activa, seu regulans & applicans illam ad regulam & hanc negamus esse solam S. Scripturam sufficientem absque Ecclesia Catholica.

Probationes Respondentis alienæ à Proposito.

II. Probationes Rationis ex S. Scriptura sunt prorsus alienæ à Respondentis proposito. Nam imprimis in nullo trium allegatorum locorum fit mentio regulæ & Judicis fidei, tum Lutheranorum, tum omnium Christianorum. Deinde illud Joan. 8. 31. *Si manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis.* Procedit de observantia doctrinæ & Mandatorum Christi Domini, quod patet ex aliis locis, in quibus per sermonem intelligitur doctrina & mandata Domini. D. Paulus ad Gal. 6. 16. *Quicunque hanc Regulam, secuti fuerint, pax super illos, & misericordia:* Non agit de Regula & Judice fidei, de quo hìc: aliàs hic locus magìs serviet Confessioni Evangelicæ puriori, de qua in Scrutinii 1. Parte, quæ statuit solum Verbum DEI Incarnatum in Evangelio loquens esse Normam & Regulam fidei. Nam de Christo D. ibi agit, quem quicunque tanquam regulam credendo in illum, & imitando eundem, secuti fuerint, pax super illos & misericordia. In tertio loco Hebr. 4. 12. *Sermo DEI est Judex cogitationum & intentionum cordis.* Respondens ponit *Judex:* in vulgata autem & Ariæ Montani aliorumque versione legitùr *Discretor*, idque consonat cum Græco textu, ponitur enim ibi nomen adjectivum κριτικὸς hoc est, *qui judicat*, seu *judicans*, *discernens*, *Discretor*, adjectivè scil. non κριτὴς quod *Judex* substantivè significat. Ponit etiam S. Paulus *cogitationes & intentiones cordis*; non verò *dogmata & articulos fidei.* Denique non legitur ibidem

dem *Sermo DEI ſcriptus*, ſed indifferenter *Sermo DEI*. Utique etiam ore Servorum DEI, etiam ejusdem D. Pauli prolatus, adeoque hoc loco S. Paulus nihil agit de hoc, quòd S. Scriptura ſit *Judex & Regula adæquata, non Lutheranis tantùm, ſed & omnibus hominibus*: aliàs demùm dici deberet ſolam veterem Scripturam ſeu Sermonem DEI in lege ſcripta eſſe talem Regulam & judicem: Nam paulò ante ex Veteri ſolùm Teſtamento adduxit Teſtimonia D. Paulus. Cætera, quæ ibidem adducit Reſpondens, poſſunt ſibi eodem jure uſurpare cœteri Diſſidentes. Ubi etiam non rectè aſſerit *amuſſim* eſſe *unicam recti & curvi normam*: Nam ſolius recti eſt norma univocè & per ſe, curvi autem non item, niſi fortè æquivocè & per accidens.

III. Formar ratiocinium generale, ſyllogiſmo, quem ante poſuit conforme. Sed non hoc eſt directum & immediatum ratiocinium Scrutatoris. Sed id, quod legere eſt in Scrutinii 1 Parte Diſcurſu 1 & quod toties etiam hìc repetitur ſcil. Cùm omnes hodie Diſſidentes Religiones ſolam S. Scripturam pro Norma & Judice fidei habeant, ſequitur vel omnes eſſe Orthodoxas: ſiquidem omnes æqualiter illam ſibi tanquam primum Principium Fidei vendicant. Vel nullam, quia nulla pro ſe ſola probare poteſt argumento apodictico, ex ſola S. Scriptura deſumpto, quod illius ſolius ſit regula & Judex, non cœterorum: quo argumento non poſſit heterodoxa, quam rejicit, etiam pro ſe uti. Aut ſi quæ una ex omnibus confidit ſe poſſe id præſtare, præſtet v. g. Reſpondens pro ſua Auguſtano-Lutherana, quia nondum id præſtitit. Unde ex hoc primùm Diſcurſu ſequitur allatum Reſpondentis Ratiocinium, quòd ſcil. nemo vel

ideò ſecurâ conſcientiâ Lutheranæ cœterorumque Diſſidentium Religioni adhœſerit, ſed potiùs illi, quæ S. Scripturam quidem pro norma & regula fidei admittit, ſed ſimul regulantem ſeu Interpretem Judicemque ſtatuit Ecclesiam Catholicam; quod nos aſſerimus. Fallacias ad extremum affingit Scrutatori, ſed in eaſdem Reſpondentem incidiſſe oſtendimus immediatè. Porrò cœtera, quæ Capite V. de Poſtulato 2. à Reſpondente contra nos adferuntur, libeat breviter percurrere.

Fallaciam plurium Interrogationum haud commiſit Scrutator.

IV. Capite Quinto Reſpondens objicit Scrutatori imprimis *fallaciam Plurium interrogationum.* Sed fallitur ipſe. Nam juxta Dialecticorum doctrinam tunc committitur fallacia plurium interrogationum, quando plures interrogationes inſtituuntur, quæ ſunt diſparatæ, nec cohærentes ſibi, nec ad veritatem eruendam: ſed eo fine, ut interrogatus capiatur & vexetur. Talis fuit illa inſtituta à quibuſdam Diſſidentibus cum quodam Religioſo Ordinis mendicantium, dum is eleemoſynam peteret;

Qualis ſit fallacia plurium interrogationum.

Interrogatus enim quis eſſet Fundator ejus Ordinis? Reſpondit Religioſus, ut quid inquirerent id, ſed utique eſſet? lippis & tonſoribus, quin orbi Univerſo notiſſimum: tum illi quærunt fuitnè is Juſtus? Reſpondente Religioſo: omninò. Quærunt ulteriùs. An legerit aliquando in Pſalmis, & an vera ſint hæc Verba Davidis: *Non vidi Juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem* Affirmante Religioſo omninò eſſe verum & ſe id legiſſe. Tandem concludunt, Ut quid ergò ipſe Patrem habendo Juſtum, & ſe credens Semen ſeu Filium Juſti, panem quæreret, ſtipem emendicando? Hæc certè fuit verè fallacia plurium interrogationum non cohœrentium cum vafra captioſitate ſimplicis & recti Religioſi.

Quan-

Quando autem proponuntur quæstiones connexæ, & cohœrentes sibi, quarum una fluit ex alia, veritatisque declarandæ causâ, quis dicat esse fallaciam? Alias cùm & Christus Dominus peteret Matth. 22. 19 sibi dari numisma census dicendo, *Ostendite mihi numisma census?* & quæreret, *cujus est hæc imago? cujus Superscriptio?* item cùm quæreret ib. v. 42 *Quid Vobis videtur de Christo? cujus Filius est?* respondentibus Pharisæis, *David*, subjecit D. *Quomodo ergò David in spiritu vocat eum Dominum suum, si ejus est Filius? dicens, Dixit Dominus Domino meo?* &c. sequeretur has interrogationes plures esse fallaciam. In præsenti itaque nullam fallaciam plurium interrogationum commisit Scrutator. Etenim quæstioni de Canone Scripturæ, est omninò cohœrens & connexa Quæstio de Versione ejusdem. Scrutator proinde ne videretur multiplicare Quæstiones seu Postulata, simul utramque quæstionem ponendam censuit, nec his Quæstionibus intendit quenquam captiosè irretire, vexare, fallere, sed potiùs Veritatem eruere.

Etiam Christus D. usus est pluribus interrogationibus: anne in bis fallacia?

V. Quo sensu verò acceperit Scrutator Canonem librorum authenticum, exposuit in ipso Scrutinio Parte 1. Discur. 2 Intelligit enim per illum illos Scripturæ libros, & numerum seu catalogum eorundem; quòd scil. hi & tot numero libri sint à DEO verè revelati. Jtem quòd hæc versio seu translatio sit conformis ipsis originariis textibus: Quia autem diversum Canonem & Versionem habent Lutherani ab aliis, diversam item translationem & versionem, ut vidimus in Scrutinii Veritatis Parte 1. Discursu 2. Quærit igitur Scrutator Veritatis, an & Canon illorù & versio sit legitima, & authentica, præ cæteris? utq; id probent Argumento ex S. Scriptura petito, illis solis competente. Et ad hoc Postulatum Resp.

Quo sensu Scrutator accipiat Canonem S. Scripturæ authenticum.

Non satisfacit. Respondet etenim affirmativè quoad primũ, scilicet quod *Lutherani habeant quidem Canonem Librorum authenticum & Originalem Scriptorum, sed cum addito Non nos Soli, sed Universi homines, quotquot eum habere voluerint.* Sed hac Responsione committit ignorantiam Elenchi. Nam non de hoc est quæstio, sed quæritur, cùm Lutherani certum habeant Librorum Scripturæ Catalogum, in quo reponunt certos libros, & à quo excludnnt alios, eumque habeant pro revelato à DEO, vocentque illos libros authographos, hos verò apographos, seu apocryphos; quæritur inquam, an id possint probare argumento Apodictico? Quod Postulatum fusiùs expositum est in Scrutinio loco citato. Ad quod non respondetur directè dicendo, *quòd eum Canonem habeant*, sed quòd *non soli*; Neque ratio, quam affert, quidquam facit ad propositum: quia inquit *quemadmodum Scriptura nobis est unica & sufficiens, adæquata Regula, atque Judex, sed non nobis solis ita & Canon. &c.* Nam antecedentis negatur suppositum, nec in illo tangitur Elenchus, ut vidimus immediatè.

Respondens non satisfacit Postulato circa Canonem seu Catalogum librorum S. Scripturæ.

Nec circa Versionem authenticam.

VI. Circa Versionem authenticam Resp. etiam non respondet directè, sed pluribus discurrit circa rationem authentici. Verùm cùm ipsemet ex Juris Consultis statuat *authenticum* esse, *quod æquipollet Originali*: hinc Versio Scripturæ illa censebitur authentica, quæ etsi non sit Originalis, æquipolleat tamen illi, eò quod cum Originali conveniat. Quæro itaque à Respondente, an talem versionem habeat? unde certus est, quod illius versio sit æquipollens Originali? Quod cum Originali conveniat? præsertim cum sit diversa à versione aliorum? E mente D. Hieronymi inquit, *in dubiis recurrendum ad ipsos Originarios libros, tum vet: Test: Hebraos, tum novi Græcos.*

Græcos. At hoc ipsum inquiunt Calvinistæ, hoc alii, & diversas Confessiones & articulos fidei inde eruunt? Unde igitur probat Resp: se meliore jure recurrere ad eosdem? Unde certus est Confessionem suam & articulos, quos ex S. Scriptura secundùm versionem Lutheri credit profluere, esse veros, Orthodoxos, secùs quàm aliarum Sectarum? Et hæc quærere non est fallacia plurium Interrogationum, ad rem haud spectantium, nec petitio principii, nec secundùm non causam, ut causam. Quin in Respondentem veriùs hæ omnes fallaciæ retorquentur: stat denique firmum ratiocinium generale, quod ipsemet format, eoque singula capita concludit.

VII. Discutiendum hìc adhuc Respondentis Caput VI. de Postulato Tertio. Responsum ad Postulatum non caret Labyrinthi ambagibus, hinc nec metam tangit, nec in medio consistens ejusdem anfractus effugit Resp: utpote carens Ariadnæ id est Orthodoxæ Ecclesiæ filo. Nam imprimis, dividit sensum Scripturæ nimirum 1. qui *ad nudam cognitionem legentis vel audientis* vel 2. *ad assensum & fiduciam referatur: posteriorique solos fideles & Orthodoxos gaudere* asserit. Quoad priorem verò, statum Controversiæ formare contendit, in eo consistentem: quòd scil: *vel de omnibus in Scriptura contentis possit institui quæstio:* & *hanc quidem Respondens negat viatoribus* ex 1 Cor. 13. 10. vel *solummodò de quibusdam, & in specie de Textibus Classicis & fundamentalibus, qui ad fidem & Vitam Christiani dirigendam cognitu necessarii sunt.* Et de his quidem docet *eosdem ob perspicuitatem Scripturæ*, quam ex D. Chrysost. ait, *Solis radiis clariorem & illustriorem* hom. 1. in Joan. C. 1. *à fidelibus & infidelibus sufficienter intelligi posse.* Adjicit tamen, *Dummodo Augustini cautela observetur* L. de

Responsio Non caret Labyrinthi ambagibus.

Præd: & grat: c. 1. inquientis. *Si quid occulta significatione suspensum, aut à conscribente breviter indicatum, minusque quàm humani cordis obtusio poscebat, expositum est, hic lucidius apparere, ibi altius latere, nusquam deesse noveris Veritatem. Imò plura* dico, inquit, *Scripturam intelligi posse non solùm ab infidelibus, verùm etiam si hi eâ utantur propter gratiæ prævenientis Universalitatem, actu intelligi. Excipiuntur tamen, qui odio Veritatis, invidiâ, præjudiciis, oscitantiâ, aliovè vitio occupati, ad illam cognoscendam, ut vespertiliones ad Solem accedunt, aut lumine oborto oculos mentis ultrò claudunt, ut fecêre Judæi* Act. 13, 40, & 7. 51.

Non Satisfacit Responsum I quia non probat, quòd soli Lutherani habeant authenticam interpretationē & sensum Scripturæ.

VIII. Responsum hoc *Non satisfacit* 1. quia cùm tot verba profuderit, nihil planè ad Postulatum respondit. Postulati enim status hic est, prout Scrut: parte 1. Discurs. 3. fusiùs explicavimus. Cùm potissima Scripturæ ratio consistat in sensu & interpretatione ejusdem, quænam scil: sit verè Orthodoxa, legitima, authentica: nam aliàs errores & hæreses ex mala illius interpretatione facilè oriuntur, & defactò ortas esse fatentur SS. P.P. Cumque unius ejusdemque interdum loci & textus discrepans, quin & opposita inter Dissidentes detur interpretatio; Quæritur an v. g. Lutherani (atque sic de reliquis) habeant Orthodoxum, legitimum, verbô, authenticum sensum, & Interpretationem Scripturæ? cœteræ autem, quas rejiciunt Religiones, secùs. Si enim etiam aliæ authenticum Scripturæ sensum habent: Ergò opposita simul erunt vera: Spiritus S. oppositorum affirmationis & negationis simul autor: oppositæ Religiones & Confessiones simul Orthodoxæ erunt. Quod, quid aliud quàm Babylonica Confusio? Si autem hoc tantum inconveniens neges, dicasque solos Luthera-

theranos habere authenticum Scripturæ sensum, cœteros secùs; hoc ipsum tibi probandum incumbit argumento apodictico ex S. Scriptura tanquam fidei tuæ Regula & Judice, idque tali, quo nullo Jure cœteræ, quas rejicis, Religiones uti possint. Et ad hoc quidem respondendum erat Autori, quod non fecit.

Non satisfacit II. Ad ea, quæ adducit, dico *sensum Scripturæ referri debere, non ad nudam solam intelligentiam & cognitionem legentis vel audientis*, sed etiam ad *assensum intellectûs* ex hac enim oriri debet actus fidei Orthodoxæ Divinæ, de qua agimus hìc, quæ non est mera & nudacognitio, sed etiam assensus revelationi Divinæ. *Fiducia*, cujus Respondens meminit, hìc locum non habet; neque enim miscenda est cum fide; nam illa etiam ad spem spectat, utpote, fidei & spei filia. De hoc itaque sensu ad Cognitionem, & assensum fidei relato, si non quoad totam universim Scripturam, saltem quoad textus illos, qui pro fidei Articulis à Dissidentibus ordinariè adferuntur, quæstio est, *an Soli v.g. Lutherani habeant authenticum & orthodoxum præ cœteris Dissidentibus?* Et ad hoc quidem directè non respondetur, sed dicitur *ob perspicuitatem Scripturæ* (quæ ipsa adhuc est in quæstione) *à fidelibus & infidelibus intelligi posse sufficienter, modò cautela Augustini servetur; imò etiam ab infidelibus, actu intelligi &c.* Quid verô hæc ad rem propositam?

2. Non satisfacit, quia sensum Scripturæ etiam quoad assensum intellectûs solos Lutheranos authenticum habere non probat.

Non satisfacit. 3tiò. Totum id, quod affert Respondens, potest proportionatè v. g. Calvinianus, & cœteri, de sua quisque Religione dicere. Stat itaque inconcussum illud ratiocinium, quo Resp. hoc Caput claudit, quòd scil. *nemo ulli Dissidentium Religioni, quæ nequit demonstrare, quod sola præ cœteris habeat certum, legitimum, & authen-*

authenticum Scripturæ sensum & interpretationem, eueâ Conscientiâ adhæserit, adeoque & Lutheranæ, cùm id præ cæteris nequeat demonstrare. Fallacias denique, quas Respondens affingit Scrutatori, ipsemet non evitavit, nimirum: *Ignorantiam Elenchi:* quia non respondet directè ad argumentum. *Petitionem Principii*, quia hoc ipsum, quod asserit, probare debuit. *Secundum causam non causam*, cum ait *ob perspicuitatem S. Scripturæ, etiam ab infidelibus sufficienter intelligi posse textus Scripturæ.* Negamus enim Scripturam perspicuam esse quoad nos in omnibus sine Magistra interpretantis Ecclesiæ autoritate.

CAPUT V.

Responsum ad Postulatum Quartum expenditur.

Dupliciter Augustano Lutherana Religio accipitur à Respondente.

I. ETiam hic Respondens in mæandrum incidit, ex quo se extricare nequit, etsi omnibus viis, vi & viribus contendat.

Etenim N. I. Dupliciter suam *Augustano-Lutheranam Religionem vult accipi, & intelligi debere* I. *prout scil: profitetur Confessionem Augustanam Carolo V. Imp. oblatam & Lutherum non autorem Suæ Religionis, in cujus verba sit jurandum, sed instauratorem antiquissimæ & propterea certissimæ veritatis, agnoscit, atque ejus doctrinam in libris Symbolicis contentam, non quia Lutheri est, sed quia cum S. Literis convenit, recipit & tuetur.* Atque ita *spectatam Augustano-Lutheranam religionem* ait Resp. *non esse Ecclesiam Christi veram, unicam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam, quippe cujus tantùm pars est,*

est, non totum. Num 2. ait *Augustano-Lutherana Religio seu Ecclesia accipi potest eorum hominum, quorum fides ad minimum in fundamentalibus articulis cum Confessione Augustana, & doctrina Lutheri convenit, atque sic affirmat* Respondens quæstionem, statuendo *solos Augustano-Lutheranos habere Ecclesiam Christi veram, unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam, in qua plurimi alii à diverso catu Nomen gerentes, quoad rem reperiuntur, idque præter infantes, etiam adulti. Unde non damnat Papistas simpliciter, etsi damnat Papatum, idemque judicat de cæteris sectis, in quas hodie fraudibus Sathanæ tunica Christi inconsutilis i. e. Ecclesia scinditur. Nec commemorat eos, qui gratiâ Spiritus S. ante obitum illuminati ad frugem & saniora consilia redierunt: Quos inter,* ait fuisse *Hosium Cardin: & Episcopum Varmiensem eò quòd ante mortem hæc verba inseruerit Testamento: Venio ad te,* scribit, *Pater Clementissime, Venio ad te nullis meis, sed multis tui filii Domini & Redemptoris mei Jesu Christi meritis onustus &c. hujus mortis meritum, in quo solo spem & fiduciam meam habeo defixam affero ad Te; hæc est Justitia mea &c. Quæ utique verba nihil aliud, quàm Augustanum seu Lutheranum loquuntur, quod ut hæreticum damnatur in Concilio Tridentino.*

II. Et hisce dictis existimat se Respondens satisfecisse Postulati primæ parti. Hinc Num. 4. ad 2dam partem, *an scil. soli Augustano-Lutherani possint Argumento apodictico ex S. Scriptura demonstrare suam solam Ecclesiam esse unam, Sanctam, Catholicam &c.* respondet *affirmativè; quia* inquit, *soli Augustano-Lutherani ex accurata articulorum fidei, quam profitentur, cum Scripturis S. collatione argumento certo & apodictico ostendere possunt, se solos habere puram doctrinam, cæteros verò ab illis Dissidentes, non habere.* Hinc ex Joanne concludit. *Qui permanet in doctrina, habet Patrem & Filium,*

Sola Lutherana Ecclesia vera & Orthodoxa asseritur à Respondente, ceteræ falsæ.

um, & consequenter Veram Ecclesiam 11 *Joan*. 9. *Nos permanemus. Ergo. E contrario qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, non habet Deum, & consequenter nec veram Ecclesiam, Alii à nobis Dissidentes &c.* Ergo. &c. *Minor utrinque ex collatione Theseos & Antitheseos cum infallibili Verbo DEI demonstratur* :. *&c.*

Num. 5to: In Tertia tandem Postulati parte ait *committi fallaciam amphibologiæ, & plurium interrogationum*. Atque ita concedit *posse sibi cæteros appropriare idem argumentum, quod Augustano-Lutherani appropriant jure, adeoque Verbum, quod sibi in hac vita nullo jure appropriant, judicabit illos in Novissimo Die* Joan 11. 18.

Responsio non satisfacit 1. Quia illam pauculis mutatis possunt sibi appropriare heterodoxi.

Num. 6to Ad extremum ratiocinium adfert simile prioribus, in quo negatâ minore objicit Scrutatori *fallaciam amphibologiæ, Plurium interrogationum, Principii petitionem*. Hæc Responsio.

III. *Non satisfacit 1.* Quia petitur Principium. Etenim totum hoc, quod Respondens asserit, dicere potest pro se proportionatè & pauculis immutatis, Calvinianus, Socinianus, Mennonista, Quakerus.

Non satisfacit 2. quia quæ affirmat, non probat.

IV. *Non Satisfacit* 2do; quia duplicem illam acceptionem Ecclesiæ non probat ex S. Scriptura. Unde enim hoc, quòd Ecclesia Lutherana prout scil: illius Confessio Augustana oblata est Carolo V. à Luthero non tanquam Autore, sed instauratore antiquissimæ Religionis sit Ecclesia una, vera, non quidem Universalis, sed pars solùm Ecclesiæ veræ. Ubi de hoc S. Scriptura? ubi testatur quod confessio Carolo V. porrecta sit Orthodoxa? quòd Lutherus sit instaurator antiquissimæ Religionis? quòd Ecclesia Luther: sit vera pars; & non potiùs eò ipso, quia est pars scilicet sejuncta, separata, & rescis-

sa ab universali, sit falsa, adeoque non Catholica & Orthodoxa? Item unde hoc, quòd Ecclesia Lutherana, in secundâ acceptione spectata, sit Ecclesia vera Catholica? Ubi de hoc S. Scriptura? quòd illa Ecclesia sit Orthodoxa & Catholica, cum qua saltem in fundamentalibus articulis conveniunt quoad rem, etsi diversum nomen gerentes? Item quinam erunt hi fundamentales articuli? Ubi definiuntur à S. Scripturâ? Quidsi neget Quakerus, aut Socinista, rectè doceri & teneri fundamentales articulos de DEO, & CHRISTO D. de Sacramentis à Lutheranis? Fallique in interpretatione textuum S. Scripturæ, quibus probare contendunt Lutherani, suos fundamentales articulos? Item ubi de hoc Scriptura? quòd exinde cognoscenda sit Ecclesia Lutherana Vera, Catholica, si scil. illius confessio, & articuli fidei accuratè conferantur cum Scripturis? Quidsi in illâ collatione, erret Respondens? cur non enim errare possit? cùm sit homo errori subjectus, juxta illam universalem Propositionem S. Scripturæ, *omnis homo mendax*. Unde probabit ex Scripturâ quòd defacto non erret? Item unde probat ex Scripturâ, quòd soli Lutherani permaneant in Doctrina Christi, cæteri secùs? Item quòd illi soli jure sibi approprient Verbum DEI, cæteri secùs? en hìc iterum Respondens hæret in vado!

Non Satisfacit 3: quia suam Lutheranam Ecclesiam veram & Orthodoxam asserit ex collatione ejusdem Confessionis cum S. Script.

Non Satisfacit 3tio, Quando ait ex eô cognosci debere, Ecclesiam Augustano-Lutheranam esse veram, Catholicam, Orthodoxam, *si scilicet ejusdem confessio & articuli fidei accuratè conferantur, cum S. Scripturis*. Videtur Respondens novam notam Ecclesiæ veræ & Orthodoxæ constituere, per quam scil. heterodoxa & falsa dignoscatur, tanquam per rationem differentialem; Nimirum ipsam collationem

 suæ

ſuæ Confeſſionis & articulorum fidei cum S. Scriptura. Igitur vel hæc nota fidei veræ ſola ſufficit, adeoque illæ aliæ, quæ ordinariè à Lutheranis aſſignantur, nim: *pura Verbi DEI Prædicatio*, & *legitima Sacramentorum administratio*, ſunt ſuperfluæ, vel ſi ſolæ ſufficiunt, illa ſuperabundat, adeoque his ſolis probanda eſt Orthodoxia fidei, fruſtraque recurritur ad illam collationem. Neque valet, ſi dicas hanc collationem non eſſe notam diſtinctam, ſed ſolùm argumentum, quo probatur illa prima fidei nota Eccleſiæ, nim: pura Verbi DEI Prædicatio. Contra enim eſt, Quia hinc ſequitur hanc notam *puram* ſcil. *Verbi DEI Prædicationem*, non eſſe ſufficientem notam Eccleſiæ; quia vera nota Eccleſiæ debet eſſe, ultimum reſolutorium, & ratio formalis ultima Orthodoxæ Eccleſiæ: quia ſi non ſit ultima, ſed detur ulterior, dabitur proceſſus in infinitum in rationibus formalibus, quòd eſt inconveniens: aut ſi negas proceſſum hunc, aſſignanda eſt alia ratio formalis, quæ ſit ultima. Jam autem illa dicta nota Eccleſiæ *pura Verbi DEI Prædicatio*, non eſt ultimum reſolutorium, & ratio formalis ultima: Etenim ſi quæreram; eſtne Eccleſia Lutherana orthodoxa? reſpondebis affirmativè; ſi quæreram, Unde id cognoſcis? quo id argumento probas? reſpondebis, cognoſco ex nota veræ Eccleſiæ indeque probo, quia ſcil. habet puram Verbi DEI Prædicationem! Quidſi non puram habeat? Quidſi alia heterodoxa, quam tu rejicis, puram è vero habeat, tu ſecùs? & ad hoc tandē reſpondebitur, quod ſcil. ex collatione confeſſionis & articulorum fidei, cum S. Scrip: id cognoſci debeat. En hic totam ultimò quæſtionum catenam reſolvi in dictam collationem: adeoque illa pura Verbi DEI Prædicatio,

non

non eſt ultima Ratio & reſolutorium: quia reſolvitur in aliud nim: collationem confeſſionis & articulorum cum Scriptura S: conſequenter illa *pura Prædicatio* non eſt adæquata & ſufficiens nota Eccleſiæ veræ, quia non eſt ultima; quia eſt reſolubilis in aliam. At verò neque hanc collationem eſſe ultimam oſtendo: reſtat enim quærere, unde tibi conſtat, quòd tua collatio Confeſſ: & articulorum fidei ſit bona, nec ſubjecta errori? Etenim eâdem collatione uti poſſunt, & defacto utuntur Calviniani, Sociniani, Mennoniſtæ, Quakeri, & tamen negas illorum confeſſionem & articulos fidei eſſe orthodoxos & veram Chriſti Eccleſiam. Vel igitur neceſſe eſt, ut novum argumentum adducas, quô probes tuam collationem reipſâ & defacto eſſe veram, neque errori expoſitam, cæterorum ſecùs: & tale nunquam adducere poteris; quia illud omninò negabunt cæteri heterodoxi, ſibique potiùs attribuent: & inſuper dicta collatio non erit ultima ratio, & reſolutorium, quia reſolvitur in illud novum Argumentum; quodſi negatur, debebit aliô probari, atque ſic adhuc dabitur proceſſus in infinitum rationum, & argumentorum: Vel tua ratio erit nulla; quia non ſufficiens, quia non ſatisfaciens, nec exhauriens quæſtionem. Neque valet, ſi dicas non jure, ſed injuriâ ab heterodoxis negandum illud argumentum, ſeu rationem: Etenim hoc ipſum probandum erit: dicent enim heterodoxi, non jure ſed injuriâ ſibi id objici. Atque ita ex hoc etiam capite nimirum collationis ſuæ Confeſſ. & articulorum fidei cum S. Scripturis non ſubſiſtit Reſponſio.

Non ſatiſfacit 4: quia Lutherum Inſtauratorem vult antiquiſſimæ Veritatis.

V. *Non ſatiſfacit IV.* In quantum num. 1 ait *Lutherum non Autorem novæ Religionis, in cujus Verba jurandum ſit, ſed Inſtau-*

ratorem antiquissimæ, & propterea certissimæ Veritatis. Hanc enim propositionem à vero alienam tot Libris demonstratum est à Nostris Scriptoribus, & à nobis tum in D. Chrysostomo à Lutheranismo Vindicato, tum, aliàs probabitur.

Non satisfacit 5: quia inquit Lutheranos recipere doctrinam non quia Lutheri est, sed quia cum S. Literis convenit. Sed contrarium probatur.

I Quia solam doctrinam Lutheri cum S. Literis concordare sibi persuadent, ubi Circulus vitiosus Lutheranorum.

2. Quia ipse Lutherus doctrinam, quam docuit, vocat suam doctrinam, suum Evangeliũ &c.

VI. *Non Satisfait* 5. Responsio data Postulato. Respondens enim præterea ait *Augustano-Lutheranos recipere & tueri doctrinam Lutheri, non quia Lutheri est, sed quia cum S. Literis convenit.* Sed eosdem *doctrinam Lutheri*, propterea etiam quia Lutheri est, recipere, & tueri palàm fit primò &c. eo ipso, quia *solam doctrinam Lutheri cum S. Literis concordare* sibi persvadet: ubi manifestè circulum quendam vitiosum â Respondente committi animadvertas; nam si quæratur ab eo, quare doctrinam Lutheri recipiat? Respondet; quia cum sacris Literis convenit: Si quæram, quare cum S. Literis convenit? Respondebit, quia Lutherus tanquam Vir DEI, à DEO præ cæteris illustratus, & ad reformandam Ecclesiam electus, atque missus doctrinam suam cum S. Literis convenire docet. Quid enim aliud respondeat? Si enim velit ire per Inductionem Articulorum in particulari, quibus S. Scripturæ textum applicet, quæram unde id, quod hìc v. g. textus huic articulo sit applicandus, atque hoc, non alio sensu explicandus? quo nimirum Autore? quo duce? quo interprete? & is non alius, quàm Lutherus assignari potest utp. primus ut doctrinæ, ita & ejusdem ex S. Literis comprobationis Autor: 2do quia ipse Lutherus, sæpè doctrinam, quam docuit, vocat *suam doctrinam, suum Evangelium, suum Verbum, suam causam, suas partes.* Ita loquitur Tom: III Witt: per Zach. Leheman Anno 1582. Epistola ad conventum Jutterboren. fol. 238 Tom.

11 ibid per Laurent. Swenck: 1516 Epist: ad Georg. fol. 488 Et contra Scriptum Regis Angliæ fol. 493, 494 & aliis plurimis locis apud Richardum Smithæum Lincolniensem S. Theol. Doct. de *essentia Protestanticæ Religionis &c.* Lib. 2. Cap. 15. Igitur Lutherani recipiunt, & tuentur doctrinam Lutheri, *quia sua est*, seu Lutheri doctrina: *quia suum*, seu Lutheri Evangelium: 3tio quia Lutherani hoc à Luthero differentiale, discretivum, & distinctivum ab aliis sibi Agnomen appropriârunt, quòd illorum fides dicatur *doctrina Lutherana*, *religio Lutherana*, *Causa Lutherana*, *negotium Lutheranum*, & *Lutheranismus*; ita planè sicut Catholicis â Papa, Papismum affinxerunt; eodem modo à Luthero Lutheranismum, sibi verè appropriant. Ita enim ab ipsomet Luthero appellantur loco cit: contr. Scriptum Regis Angliæ fol. 497. & in respons. ad Lovan: fol. 37. Ipse quoque de se ait, *agnosco me unum ex Lutheranis* Tomo 7 Vitt. 1558 in psal. 118 fol. 551 & simpliciter loquitur ibid. de Missa privata fol. 233. 242 in defens: Cœnæ fol. 400. & aliis plurimis locis, ita & cæteri Lutherani sese appellari volunt, ut cæteros taceam Braverus, in præf. absurdorum Calvini inscribit librum suum Γνησίως λυθεράνοις & pag. 61 asserit *quòd sui dicantur Lutherani, ut distinguantur à Pontificiis & Calvinistis.* Et Bergenses (ut refert Hospinianus in concordia discordi Cap. 30) Scribunt quòd à *Luthero omnes sinceri doctores Ecclesiæ nominant se Lutheranos.* Hoc idem etiam de Lutheranis testantur Sacramentarii: nam ita Casimiriani in admon: de lib: Concor: C. 6. p. 213 dicunt de eisdem, *quòd nullum agnoscant Germanum Christi discipulum, nisi qui non minus Lutheranus, quàm Christianus dici velit.* Danæus in Apolog. ad Jacobum Andreæ, ait, quòd *ille unô Lutherô tan-*

3 Quia Lutherani à Luthero hoc differentiale & discretivum ab aliis Agnomen accepêre.

quam alterô Christô glorietur, à quô se Lutheranum ubique intonat, & appellat. Vide plura apud præcit: Richardum Smithæum. Ex quibus patet hoc nomen Lutherani â Lutherô appropriatum esse, huic religioni, adeoque Lutheranos doctrinam Lutheri recipere & tueri propriè etiam, *quia Lutheri est.* 4to Denique quando Respondens ait Lutheranos *recipere & tueri doctrinam Lutheri, non quia Lutheri est, sed quia conformis S. Literis*, dupliciter id dictum intelligi potest: 1mo quòd ita ex objecto de facto, re ipsa, & è vero se res habeat: 2do quòd se id habeat solùm opinativè, seu ex præconcepta, ac prætensa opinione. Quoad primum, quod id ita ex objecto de facto, reipsa, ac verè se habeat; negant Catholici; negant & Heterodoxi dissidentes, suæ potiùs doctrinæ conformitatem cum Scriptura attribuentes, eamque quisque pro se per *collationem Thesium & Antithesium* probantes: nec eosdem Respondens malæ collationis, & probationis convincere potest ex suæ fidei Regula & Judice sola S. Scriptura. Igitur sequitur potiùs Respondentis dictum solùm ex subjecto, adeoque ex præconcepta & prætensa opinione procedere, quòd scilicet Lutherani recipiant, teneant, ac tueantur doctrinam Lutheri, non *quia Lutheri*, sed quia S. literis est Conformis.

4 to quis Lutherani doctrinam conformẽ S. literis opinativè solùm, non è vero habent.

Non satisfacit 6. ex eo, quod dicat Ecclesiam Lutheranam quà pars est, non esse Veram Ecclesiam.

VII. *Non satisfacit* 6. Respondens cùm ait, Ecclesiam Lutheranam *quà pars est non esse Christi, Veram, Unicam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Ergò concedit eam, *quà pars* est, non esse illam Ecclesiam, quæ est Verè Christi, Vera, Unica, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia: Atqui neque *quâ totum* est talis: quia negat Ecclesiam Lutheranam esse totum in priore sensu, *prout* scilicet *profitetur Confessionem Augustanam Carolo*

V.

V. oblatam &c. Non etiam eſt *totum* in poſteriore quem adducit ſenſu, *quatenus* Scil: *Lutherana Eccleſia accipitur eorum hominum, quorum fides, ad minimum in fundamentalibus articulis cum Confeſſione Auguſtana & doctrina Lutheri convenit.* Nam hoc ipſum eſt petitio principii: probandum enim, inprimis, quòd talis Eccleſiæ acceptio debeat dari; quod item ſic accepta Eccleſia ſit totum, & non pars Eccleſiæ. Item quinam ſint illi fundamentales articuli? Item an de hiſce, quos pro fundamentalibus articulis habent, rectè ſentiant Lutherani? Item quòd omninò cum ſola præciſè Auguſtana Confeſſione, in fundamentalibus articulis convenire debeant homines, ut ſint in Eccleſia Chriſti, Vera, Catholica &c. Cur non potiùs debeant convenire cum Confeſſione Calviniana in fundamentalibus aut Sociniana, aut quacunque alia? Hæc inquam, omnia probanda ſunt Reſpondenti, aliàs dicam illum non juxta Veritatis leges, ſed ſolùm è propria Opinione & ſenſu privato, ea omnia comminiſci & loqui.

Deinde Reſpondens nullum hominum genus oſtendet, quod in fundamentalibus articulis fidei cum Auguſtana Confeſſione & doctrina Lutheri conveniat. Nam Auguſtana Confeſſio ponit pro fundamento, notâ, & characteriſticâ fidei & Eccleſiæ Veræ, *prædicationem puram Verbi DEI*; & *legitimam Sacramentorum adminiſtrationem.* Atqui nullum hominum genus, diverſæ à Lutheranis ſectæ datur, quod cum illis conveniat in *prædicatione Verbi DEI* & *adminiſtratione Sacramentorum.* Ad hæc Reſpondens ait, cum Lutheranis ſe ſolos habere *puram Verbi DEI prædicationem*, idque *perfectam* quoad omnes fundamentales articulos. Ut ipſe, ait, hic infer. cap. 9. *Solos* item *legitimam Sacra-*

cramentorum administrationem habere. Igitur nullum hominum genus convenit cum Lutheranis in fundamentalibus. Et certè eamus per inductionem aliarum Religionum, videbimus, quòd nulla cum Augustana Confessione in fundamentalibus articulis conveniat. Nam ut Græcos taceam, qui manifestè se se à Lutheranis segregant in sua Censura data eorum Confessioni per Jeremiam Patriarcham Constantinopol: Ut item taceam Religionem Anabaptistarum seu Mennonistarum, Schwenkfeldianorum, Novorum Arianorum, seu Socinistarum, Antitrinitariorum, quos in quatuor classes divisos nunquam Confessionem Augustanam complexos asserit, Christianus Chemnitius in Collegio Theol. super formulam Concordiæ disp. 13. Taceo item Quackerianam, qui utique omnes in primo Principeio, ut ita dicam, adeoque fundamentali articulo de Mysterio S. Trinitatis minimè conveniunt cum Augustana Confessione. Sed nec Calviniana, quæ videtur propiùs accedere ad Lutheranam, cum eadem convenit in fundamentalibus. Etenim è fundamentalibus utique articulis non postremus est de Cæna Domini, de Prædestinatione &c. Atqui in his non conveniunt cum Lutheranis, ut manifestè patet. Unde cùm Lutherani objiciant Calvinistis, quòd in his fundamentalibus articulis errent, non convenientes cum sua Augustana Confessione, objiciunt simul eis quoad hos articulos non habere eos puram Verbi DEI prædicationem, nec legitimam Sacramenti Cænæ Domini administrationem, adeoque negant Calvinistas cum sua Augustana Confessione in his fundamentalibus articulis convenire. Atque tandem ab ultimo ad primum, nullum datur hominum genus, quorum fides ad mini-

minimum in fundamentalibus articulis cum Confeſſione Auguſtana & Lutheri doctrina conveniat. Quid quòd ipſos Lutheranos inter ſe haud convenire in fundamentalibus articulis manifeſtum eſt, ut probant varii tum & cit: Chriſt. Chemnitius in dicto Colleg. Theol. tum ipſemet Reſpondens in ſua oratione inaugurali pro doctoratu. Unde ad extremum conſequitur Eccleſiam Lutheranam nullo modo, quia nec *quà partem* (id quod ultrò concedit Reſpondens) nec *quà totum*, id quod aliàs affirmat, non probat) eſſe *Eccleſiam Chriſti*, *Veram*, *Unicam*, *Sanctam*, *Catholicam*, & *Apoſtolicam*.

VIII. *Non Satisfacit 7mo* Reſponſio, in quantum ſcil. Reſpondens ait, *poſſe aliquod hominum genus cum Confeſſione Auguſtana & doctrina Lutheri ad minimum in fundamentalibus convenire*. Quo dicto ſupponit dari aliquos *fundamentales articulos fidei*, adeoque comparatè ad alios præſtantiores ac principaliores dari aliquos minùs fundamentales, quod ipſum dubium controverſumque eſt, an Scil. dentur? & quinam illi ſint? ad quod reſolvendum; Ajo quòd in duplici Claſſe poſſint conſiderari Articuli fidei: 1mo quoad *Subjectum*: 2do *quoad objectum*. Quoad Subjectum, hoc eſt, ipſe homo qui credit, & ſic quidem non eſt dubium, quin poſſit unus eſſe articulus fundamentalis, alter ſecùs: quia dari poteſt ſubjectum, ſeu homo, qui apprehendat hunc articulum fundamentalem eſſe, magiſque præcipuum, illum ſecùs. At negatur eo ipſo articulum eſſe fundamentalem & magis præcipuum præ reliquis: quia ſcil. hoc ſubjectum, hic homo apprehendit eſſe talem. Unde etſi quoad ſubjectum dari poſſet erroneè articulus unus fundamentalis, alter ſecùs, ſed non formaliter & verè, niſi fortè ſi ſit objectum

An dentur articuli fidei fundamentales aliqui, alii ſecùs?

aliquod fidei verè magis præstans, & fundamentale, de quo infra, illudque ita, prout est ex parte objecti, apprehendat & credat subjectum. Unde jam 2do articulus fidei spectatus quoad *objectum* adhuc duplici modo considerari potest. 1mô quoad *objectum materiale*. 2do quoad *objectum formale*. Quoad *objectum materiale* consideratus articulus fidei, est ipsum objectum seu res, quæ credenda, seu circa quam versatur fides hominis. Quoad *formale* verò, est ipsa ratio formalis & motiva, propter quam creditur objectum materiale, seu res objecta creditioni humanæ. Primo modo spectati articuli fidei admittunt majus & minus, adeoque dantur magis & minùs principales; quia dantur objecta seu res credendæ, quarum Una est ex objecto seu naturæ suæ exigentiâ dignior, præstantior, æstimabilior: sic v.g. Objectum fidei, quod est *SS. Trinitas*, Vel *Incarnatio Verbi DEI*, longè est dignius & præstantius ex naturâ suâ, quàm objectum, quod est v.g. *hominis baptismus*, *fides*, *opera* &c. illa enim sunt purè Divina, hæc humana, etsi supernaturaliter elevata. Secundo autem modo quoad Scil. *objectum formale*, seu rationem formalem, & motivam, propter quam credendum est objectum materiale; non datur majus & minus, adeoque nec magis principale & fundamentale unum objectum; quàm aliud. Ratio est, quia hoc in fide Divina est Unus idemque *Deus Veritas, prima essentialis & infallibilis in essendo, cognoscendo, & dicendo, revelans*, objectum materiale credendum. Qui cùm respectu sui non sit magis dignus, præstans, fundamentalis, nec minùs; ideoque neque respectu illius dari potest articulus Unus præstantior, quàm alius, Unus fundamentalis, alius secùs. His præmissis.

Dico,

Dico, quòd quamvis quoad *objectum materiale*, possit dari Unus articulus magis præstans, principalis, adeoque fundamentalis, præ alio; non tamen quoad *objectum formale*, adeoque sic spectati articuli fidei sunt omnes æquales: quia omnium & singulorum est Una & eadem indivisibilis ratio formalis, nimirum propter quam creditur, scil. *Veritas prima, essentialis, & infallibilis*, seu ipse *DEUS, qui dixit*, seu *revelavit*. Unde æqualiter prorsus afficit & formalisat omnes & singulos articulos fidei: adeoque æquè Verum de fide est & credendum Mysterium *SS. Trinitatis*, atque *Sacramentum baptismi*, quia æquè hoc atque illud *Veritas prima* DEUS revelavit, etsi *materialiter* spectatum illud sit dignius, & præstantius præ hoc. Unde per consequens æquè is errat in fide, qui non credit *Sacramentum baptismi*, atque is, qui non credit Mysterium *SS. Trinitatis*; quia æquè discredit & repugnat objecto formali, nimirum: Veritati primæ ipsi DEO, qui Utrumque revelavit; ac denique æquè ille discredendo amittit salutem, damnationemque incurrit æternam, atque hic. Confirmatur id ex S. *Leone Papa*, qui de his duobus articulis de Christo Domino credendis 1. quòd sit *Verus Deus* 2. quod sit *Verus homo*, inquit sermone 7 de Nativitate Domini. *Festivitatis hodiernæ dilectissimi Verus Venerator est, & pius cultor, qui nec de Incarnatione Domini aliquid falsum, nec de Deitate aliquid sentit indignum: Paris enim periculi malum est, si illi aut naturæ nostræ Veritas, aut paternæ gloriæ negatur æqualitas.* Ubi advertendum, quòd ex parte objecti materialis magis principalis articulus fidei sit ille primus, quòd Scil: Christus Dominus sit *Verus DEUS*, quàm secundus, quòd sit *Verus homo*: nihilominus ait, Utrumque ar-

ticulum æque credendum, quia inquit, *paris periculi malum est, alterum discredere :* hujus autem ipsius dat rationem hanc : quia Utriusque Unum idemque est objectum formale seu ratio motiva credendi, nimirum Divinæ Veritatis Autoritas : addit enim post pauca ; *Divina est enim Autoritas cui credimus ; Divina est doctrina, quam sequimur* &c. Igitur in fide articuli quoad objectum quidem materiale possunt non omnes esse æquales, sed Unus dari magis præcipuus & præstans, quàm alius ; nihilominùs quoad objectum formale omnes omninò sunt æquales ; quia Una eademque *Divina est auctoritas cui,* & propter quam *credimus.*

Itaque descendendo ad illud Respondentis dictum, quòd *illud hominum genus, quod cum Confessione Augustana & doctrina Lutheri ad minimum in fundamentalibus convenit, spectet ad Augustano-Lutheranos ; sicque Augustano-Lutherani habent Ecclesiam Veram, Unicam, sanctam, Catholicam & Apostolicam.* Concesserim quòd aliud hominum genus possit cum Lutherana Ecclesia quoad aliquod *objectum materiale* fidei magìs principale & fundamentale convenire v. g. quoad articulum fidei de *SS. Trinitate,* de *Christo Domino,* sed quidsi illud hominum genus dicat, quòd Lutherana Ecclesia potiùs conveniat secum rectè sentientibus circa illud objectum seu articulum fidei ? Eccur illud hominum genus potiùs reduci deberet ad Lutheranos, & non hi potiùs ad illos ? Eccur Lutherana Ecclesia eâ prærogativâ præ reliquis gauderet, Ut quodcunque hominum genus cum illa in fundamentalibus conveniat, ad illam solam reduci, referri, ac revocari tanquam ad quid principale, primarium magisque præcipuum deberet ? Eccur hâc prærogativâ non gaudeat

deat potiùs Ecclesia Calviniana, aut alia heterodoxa? Eccur id ipsum negatur Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, quæ id sibi pluribus titulis, & antiquitatis, & consensionis, & Universalitatis prærogativâ pro merito vendicat? & ad quam teste Divo Irenæo L. 3. c. 3. *propter potentiorem principalitatem necesse est convenire omnem Ecclesiam, hoc est, omnes qui sunt Undique fideles.*

Quod autem attinet ad *obiectum formale*, cùm in hoc non detur majus & minus, magis principalis & fundamentalis articulus fidei, neque dari potest hominum genus, quod cum Lutherana Ecclesia in fundamentalibus quoad *formale* convenire posset; sed æquè Lutherano atque cuicunque hominum generi æqualiter credendi & tenendi sunt articuli fidei, sub æternæ salutis amissione: adeoq; nihil in hoc potioritatis potest sibi vendicare Ecclesia Lutherana præ reliquis, neque hoc titulo se solam Ecclesiam, Veram, Unicam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam, asserere potest.

Frustranea itaque, quia sine fundamento gloriatio est Respondentis, quòd illius Lutherana Ecclesia una, Sancta, Catholica &c. sit ex eo, quia cum illa convenitur ad minimum in fundamentalibus.

IX. *Non satisfacit* 8vo ex iis, quæ insuper Respondens adducit: Ait enim, *se non damnare simpliciter Papistas, sed Papatum.* Unde illi hoc Censorium judicium? ex quo capite damnandus Papatus? Et cur non potiùs simpliciter damnandus Lutheranismus? Utpote noviter exortus, tot in Ecclesia sectas ac schismata, tot Regionum Regnorumque dissidia, tot denique Animarum detrimenta nunquam reparanda, post se trahens? Nec se *cæteras sectas damnare ingenuè fatetur*; *Anne ita è Verò?* *Siquidem*

Reliqua, quæ Respondens adducit, breviter percurruntur.

addit ; in quas hodie fraudibus ſathanæ tunica Chriſti, id eſt Eccleſia ſcinditur : quo dicto an non eo ipſo damnat, quando *fraudibus Sathanæ* tunicam Chriſti in eas ſcindi, aſſeverat ? Atqui negant hoc ipſum Unaquæque ſectarum ſigillatim : quin à Lutheranis *tunicam Chriſti*, id eſt *Eccleſiam* Chriſti potiùs ſcindi ab illis, quàm à ſua ſecta ?

Perſvadere inſuper nititur Reſpondens ſibi & aliis *Cardinalem Hoſium* (Virum Catholiciſſimum, atque à Lutheri erroribus alieniſſimum, id quod ejus doctiſſima ſcriptorum monumenta loquuntur) in extremis receſſiſſe à primâ ſuâ, & Eccleſiæ Catholicæ ſententiâ circa meritum bonorum operum, eò quòd in Teſtamento ſuo hæc ſcripta reliquerit. *Venio ad Te Pater Clementiſſime, Venio ad te nullis meis, ſed multis filii Tui Domini, & Redemptoris mei JESU Chriſti meritis onuſtus &c. in quo ſolo ſpem & fiduciam meam omnem habeo defixam &c. hæc eſt juſtitia mea, ſatisfactio mea, hoc redemptio mea, hoc propitiatio mea, meritum meum eſt mors Domini mei &c. Quibus* Hoſii Verbis hoc ſubiungit epiphonema Reſpond. *Quid magìs Auguſtanum vel Lutheranum dici potuiſſet? Certè id ut Hæreticum, hoc eſt Lutheranum & Auguſtanum damnatur in Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 1. & Seſſ. 14. Can. 14.* At enimverò quantum à vero deflexit, videamus : Id *enim* maximè Catholicum & Orthodoxum eſt, quod Eccleſia Catholica Romana ſemper tenuit & defendit ; Lutheranis autem rigidis aut errore, aut malitiâ percipere haud placet : neque id ut Hæreticum damnatur in Concilio Trid. nam dictæ ſeſſionis 6. Canone 11. agit *de Juſtificatione*, non de merito bonorum operum. Legiſſet potiùs Reſpondens ea, quæ in hac ſeſſione Cap. 16. *de fructu juſtificationis, & merito bonorum operum, deq; ipſius meriti ratione,*

tione, docet, meliùs mentem Tridentini & Ecclesiæ Catholicæ intellexisset: ibi enim inter alia hæc habet, rationem dans antecedenter dictorum. *Cùm enim ille ipse Christus JESUS tanquam Caput in membra, & tanquam Vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter Virtutem influat, quæ Virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto DEO grata, & meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis ampliùs deesse credendum est, quominùs plenè illis quidem operibus, quæ in DEO sunt facta, Divinæ legis pro hujus statu Vitæ satisfecisse, & Vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam verè promeruisse censeantur*, & paulò post. *Ita neque propria nostra justitia ex nobis propria statuitur: neque ignoratur, aut repudiatur justitia DEI: quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem, justificamur; illa eadem DEI est: quia à DEO nobis infunditur per Christi meritum.* Neque porrò hìc sistit Tridentinum, sed insuper ait. *Neque verò illud omittendum est, quòd licet bonis operibus in S. Literis usque adeò tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum; & Apostolus testetur, id quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operari in nobis: absit tamen ut Christianus homo in seipso, vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: Cujus tanta est ergà omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

Videat Respondens, an hâc doctrinâ damnetur ut hæreticum, id quod in Testamento suo scriptum reliquit Hosius. Sed & illa quæ Concil. Trid. Sess. 14. cap. 8. docet, legisset Respondens, reperisset Hosium nihil non Tridentino conforme, ac vel ideò Catholicum at-

que Orthodoxum scripsisse: ibi enim quid clariùs dici poterat? omnem justitiam, satisfactionem, gloriationem nostram esse in Christo Domino, & non in nobis: dum sic ait, *accedit quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo JESU, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur: certissimam quoque inde arrham habentes, quòd, si compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita nostra satisfactio est hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum JESUM: nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo unde glorietur; sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes dignos fructus pænitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Hæc igitur Tridentini est doctrina, huic conforme testamentum Hosii. Non igitur propterea Hosius à Catholicâ Romanâ Ecclesiâ recessit, & ad Lutheri castra accessit in morte; cujus doctrinam, in quantum opposita doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, semper in vita detestatus. Illud sibi Hosius è vero usurpavit, quod Concil. Trid. cum S. Ambros. docet. *Si igitur in teipso quod es, non debes æstimare, sed ex Christo; quantò magis in Christo non tua debes æstimare, sed Christi.*

Non satisfacit. 9. quoad ea, quæ insuper adfert Respondens ex Indice Librorum prohibitorum Hispanico, Titulo *Baptisandi ordo* &c. Venetiis, nihil pro Respondente faciunt. Interrogationes enim illæ deleri jussæ non ideò, ut quidquam derogaretur Virtuti & merito passionis Domini nostri JESU Christi totumque propriis nostris meritis in causa salutis adscriberetur, sed tum ad tollendas

mul-

multas interrogationes: tum propter conformitatem ritûs baptizandi, qui in aliis Ecclesiis ejusmodi interrogationes haud continet.

Frustrà denique § 5 Scrutatori objicit fallacias amphibologiæ, simulque plurium interrogationum, id quod Universaliter deductum. Quin ipsemet Respondens committit fallaciam petitionis Principii, & Ignorationis Elenchi. Neque enim demonstravit, quòd aliæ Sectæ non jure, sed injuriâ pro sua Ecclesia eadem argumenta ex S. Scriptura assumant, quæ Lutherani. Nam quod ait de *Ammonitis vendicantibus sibi terras à DEO Israëlitis juxta Jordanem concessas.* Jud. 11. 13 de *Samaritanis prærogativam præ Jerosolymitanis affectantibus* Joan. 4. 20. Utrorumque horum nullitatem juris, testatur S. Scriptura manifestè; at ubi eadem similem juris nullitatem adscribit sectis heterodoxis à Lutherana. *Nempe* (inquit Resp.) *Verbum, quòd sibi in hac vita nullo jure appropriant, judicabit illos in novissimo die* Joan. 12. 48. Hoc ipsum in Respondentem retorquent heterodoxi. Petit itaque principium: Elenchum ignorat eo ipso, quia ad eum non respondet adæquatè, nec denique satisfacit postulato.

CAPUT VI.

Responsio ad Postulatum Quintum expenditur.

1\. RESpondetur ad hoc Postulatum § 2. quòd *mentio de Certitudine Ecclesiæ omitti potuerit: siquidem in quæstione de Ecclesia vera involuitur; de qua priùs quæsitum.* *Responsio ad postulatum quintum.*

§ 3. *Infallibilitatem Ecclesiæ Augustano-Lutheranæ sensu, quo antecedente postulato declaratum*, intrepidè adscribit: *cùm Spiritum S. in verbo Divino falli & fallere nescio, præeuntem unicè sequatur. Confirmat Script.* Ps. 119. 43. &c.

§ 4. *De Perpetuitate idem*, ait, *judicium esto: nam Augustano-Lutherana Ecclesia à doctrina sic denominata, quoad articulos fidei fundamentales, & quidem formales; in paradiso cum Proteuangelio cæpit, & hactenus contra portas inferorum gratiosè conservata æternùm durabit. Quin & in reliquis fidei articulis fundamentalibus, qui à suis Theologis antecedentes & consequentes dicuntur veritas Evangelica à Christo nato usque ad præsens tempus, per omnia sæcula suos habuit defensores & propugnatores. Quod ipsum probatum esse*, ait, *à Gerhardo, Centuriatoribus* &c.

§ 5. Ad alteram quæstionem, *an ceteræ heterodoxæ Religiones ab Augustano-Lutheranis rejectæ certitudinem, infallibilitatem, perpetuitatemque Ecclesiæ suæ sibi ullo modo applicare queant: eodem modo, quo in cap. præcedente § 5 respondetur, nimirum & aliæ sectæ promissionis Divinas de certitudine, & perpetuitate ad se trahunt, sed iniquo ausu: quia promissiones istæ non nisi ad illos pertinent, quorum dogmata à Verbo Divino probantur.* Idque demonstrare nititur *instantiâ acceptâ de Pontificiis infallibilitatem Ecclesiæ suæ adstruentibus: ex illo Matth. 17. 18. loco de Petra, super quam Christus se fundaturum esse Ecclesiam appromisit &c.*

Denique § 6 Format ex *postulato cum generali syllogismo collato ratiocinium*; cui negat minorem. *Fallacias eidem similes antecedentibus* abscribendo.

Non satisfecit 11 quia petit principium.

II. Hæc Responsio ad postulatum quintum. *Non satisfacit* imo: quia totum id, quod Respondens de sua Ecclesia Augustano-Lutherana dixit, pauculis mutatis, possent

ſent de ſua Eccleſia Calviniani, Sociniani, Mennoniſtæ, Quakeri, affirmare.

Dicent namque eodem modo, quo ille quòd *infallibilitatem Eccleſiæ ſuæ intrepidè adſcribant etiam in ſenſu antecedente poſtulato declarato.* Cujus eandem eiſdem verbis dabunt rationem, cùm *illorum Eccleſia Spiritum S. in Verbo Divino falli & fallere neſcio præeuntem unicè ſequatur.* Confirmabuntque eiſdem textibus. Dicent *de Perpetuitate idem judicium eſto*, & cætera ſequentia, quæ § 4to allegantur. Quakeri (ut cæteros taceam) defacto edidêre in lucem ſuam Confeſſionem & Catechiſmum, dicuntque planè idem quod Reſpondens, quòd nimirum *illorum doctrina ea Confeſſione, & Catechiſmo comprehenſa adhuc in paradiſo ſit inchoata, & à Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis tandem ad illos derivata.*

Negabunt inſuper, quòd promiſſiones de certitudine & perpetuitate ad ſe trahant *iniquo auſu*; id quod Reſp. de illis aſſerit § 5. Quin retorquebunt hunc iniquum auſum in ipſummet eandem planè ob rationem, quæ à Reſpondente allegatur, *quia ſcil. promiſſiones iſtæ non niſi ad illos pertinent, quorum dogmata à verbo Divino probantur.*

Reſponſum itaque Auctoris petit principium: adeóque ad poſtulatum pro ſua Eccleſia nihil reſpondet.

Non ſatisfacit 2do, in quantum recurrit ad Auctores Gerhardum Centuri.

III. Non ſatisfacit 2. in quantum recurrit ad Auctores Gerhardum Centuriatores, Flacium &c. quos aſſerit probâſſe ſuæ Eccleſiæ infallibilitatem & perpetuitatem; Quia his Auctoribus opponunt Calviniani ſuos, qui idem pro ſua Eccleſia probant ut Chamierus, Bucerus, Echſtadius &c. Ariani itidem opponunt ſuos, Socinum Blandratam, Schlichting & alios. Quakeri ſuos, qualis eſt Robertus Barclajus in ſua Apologia pro Theſibus Theologicis Lat. idiom. edita.

De-

Demonstrandum itaque priùs fuisset Respondenti, quòd hi omnes *iniquo ausu Divinas promissiones de certitudine & perpetuitate suæ Ecclesiæ ad se trahant*: quòd illæ promissiones non ad illos pertineant, èo quòd eorum dogmata à Divino Verbo non probantur. Quo demonstrato tum primùm illi rectè pro sua Ecclesia demonstratio in medium adferenda fuisset.

Non satisfacit 3tio Ratio ejus, quâ ait ceteras Religiones iniquo ausu ad se de certitudine & perpetuitate promissiones Divinas trahere.

IV. *Non satisfacit 3tio.* Ratio eiusdem quam dat, quôd *ceteræ Religiones iniquo ausu ad se de certitudine & perpetuitate promissiones Divinas trahant*: quia, nimirum ait, *promissiones istæ non nisi ad illos pertinent, quorum dogmata à Verbo Divino probantur.* Hac enim ratione petit principium: nam hoc ipsum probandum erat. Nulla est secta quæ non asserat, quòd illius dogmata à Verbo Divino probentur; hoc enim Calviniani, hoc Socinistæ, hoc ceteri clamant; nec demonstravit Respondens falsò eorum dogmata à Verbo Divino probari. Unde eodem modo argumentantur, *Promissiones de certitudine & perpetuitate Ecclesiæ non nisi ad illos pertinent, quorum dogmata à Verbo Divino probantur.* Atqui (subsumunt Calvin. ac ceteri sigillatim) *nostra dogmata à Verbo Divino probantur*, Ergò promissiones *illæ de certitudine & perpetuitate Ecclesiæ non nisi ad Calvinianos* &c. *pertinent.* Major est Respondentis: Minorem probant ex Verbo DEI non dissimili modo quo Lutherani: Conclusio per se consequitur. Deinde eadem ratio non subsistit ex eo; quia non est adæquata, nec quæstionem exhauriens: etenim æquè Calviniani v. g. atque Lutherani pro suis dogmatibus controversis atque oppositis allegant Verbum Divinum. Dubium igitur & anceps est, pro quo potiùs stet? Accipiatur ad Lydium Lapidem v. g. dogma *de reali præ-*

sentia Christi Domini in S. Cœna; nonne tàm affirmantes Lutherani, quàm negantes Calviniani Verbum DEI pro suo dogmate allegant? An non proinde dubium controversumque manet, pro quo potiùs Verbum DEI faciat? Ad quod dubium tollendum necessariò recurrendum erit ad Verbi DEI sensum & interpretationem: Uter scil: horum meliùs id intelligat, explicet, applicetque suo dogmati? quod ipsum neque per regulas rectæ interpretationis, neque per investigationem radicum & linguarum sacrarum; neque per Collationes; neq; consequentias; & si quid tandem insuper est; præstari potest: quia nullus alteri hac in parte ne latum quidem unguem cedere volet. Atque sic tandem uniuscujusque dogmata non à Verbo Divino probantur, sed à proprio cujusque sensu, interpretatione, explicatione, atque applicatione illius ad dogmata: adeoque adæquata ratio, & ultimum resolutorium dogmatum non ipsum Verbum DEI, sed proprius cujusque sensus arbiter erit.

V. Insuper Unicum illud exemplum, quo rem declarare de Pontificiis, (hoc est Catholica Romana Ecclesia) nititur, nihil planè evincit: tum quia *fallaciam* committit *à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter*; quia ad plura fit argumentatio. Nam de pluribus propositio currit: promissiones istæ non nisi ad illos pertinent, quorum dogmata à Verbo Divino probantur, adeòque illativè ad illos non pertinent, quorum dogmata à Verbo Divino non probantur.

Exemplum Unicum de Pontificiis non convincit.

Respondens autem id uno exemplo de Pontificiis declarare contendit: atque ab hoc uno exemplo ac ceteris argumentatur. Committit item *fallaciam non causæ*

ut

ait causæ. Infallibilitatem enim nos Ecclesiæ nostræ ex hoc quidem, quem adducit loco Matth. 16. 18. *de Petra,* super quam Christus Dominus Ecclesiam se fundaturum esse promisit: sed & pluribus aliis probamus: Insuper falsò confingit nos *à Petra illa recessisse,* & seu de Christo, seu de Petro intelligatur, *ab utroque defecisse.* Falsò quoque imponit *perperàm Pontificios tradere, per Petram Petrum intelligi, qui Christum confitebatur;* neque enim perperam sed optimè, & verissimè de Petro intelliguntur illa Verba, id quod tum à Bellarmino ceterisque, tum à nobis declaratum in Scrutinio Veritatis fidei Par. 2. Assert. Cathol. 1. à pagina 233. & in D. Joan. Chrysostomo à Lutheranismo Vindicato Controu. 13. D. Augustinus verò per talia Verba non solùm Christum, sed & Petrum intellexit ipsum: adsolutè enim, enuntiat de Petro serm. 15 de SS. *Petrum fundamentum Ecclesiæ Dominus nominavit: & insuper* in Psal. 108 sic ait, *quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum propriè pertinere videantur, neque tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille cognoscitur gessisse in figura personam propter PRIMATUM, quem in discipulis habuit.* Idque S. Doctor comprobat eodem Matth. 16, loco. Vide eundem Tract. 124 in Joan. & aliis locis ac sigillatim in Confess. Augustiniana: eadem fuêre sententia ceteri SS. PP. D. Basilius, Chrysost: Hieron: qui fusiùs à nobis adducuntur prænominatis opusculis.

Neque Chemnitius ostendit nos à Christo recessisse, neque aliis id præstitêre.

Neque verò *nos à Christo recessisse ostendit Chemnitius* in Exam. Conc. Trident. neque Andr. Keslerus *demonstravit ad oculum nos Petri deseruisse vestigia.* Uterque sufficienter refutatus est à Bellarm. Becano, & ceteris: si præsertim sine studio partium, oculo haud depravato, laborante, ac denique amore veritatis conferas verorumque rationes

tiones adinuicem, id quod fecêre tot viri docti & convicti à Veritate, victas Ecclesiæ Cathol. Romanæ dedêre manus.

CAPUT VII.

Discutitur Responsio ad Postulatum sextum.

I NOn moror ea, quæ § 2. Scrutatori Veritatis imponit, quòd *more Pharisæorum & Herodianorum sese circumveniri*, quòd *Ignorationem quoque Elenchi committi* ab eodem sibi persuadeat: quomodo item § 3. *Vera Ecclesia falsæ opponatur*, & cetera similia, quæ fusiùs comminiscitur. Responsio illius stat in eo, quod dicit § 3 *Verbô dicam, Veræ Ecclesiæ nota est puritas prædicationis perfecta, hoc est, quoad omnes fidei articulos, per quam à reliquis cœtibus puritatem prædicationis in aliquot fundamentalibus fidei articulis retinentibus, quoad articulos corruptos discriminatur. Atque eo sensu quæstionem primam affirmamus, solos Lutheranos habere puram Verbi DEI prædicationem; ceteras autem, quas rejiciunt sectas minimè.* *An Veræ Ecclesiæ Nota sit Puritas Prædicationis perfecta.*

§ IV. *Secundam & tertiam quæstionem*, ait *nihil difficultatis continere: inductione rem patere in tot libris Theologicis suorum.* Denique § V. more consueto concludit ratiocinio; affictis Scrutatori fallaciis. Hæc responsio quoque

II. *Non Satisfacit* 1mo. Unde enim illi hoc, quod Ecclesiæ Veræ *nota sit puritas prædicationis perfecta* &c. Ubi de hoc Verbum DEI scriptum testatur? Ubi illa vel Ver-

bum loquitur de *puritate prædicationis perfecta*, quòd illa præcisè sit nota Veræ Ecclesiæ: quin neque ex Lutheranis in quoquam Autore facilè est reperire hanc notam cum hoc addito, puritas prædicationis *perfecta*: passim enim solam *puram prædicationem Verbi DEI* ponunt notam Ecclesiæ suæ, quæ si pura est, utique perfecta supponitur?

Non satisfacit II. quia manet adhuc quæstio, quinam sint illi *fundamentales articuli fidei*, in quibus *puritas prædicationis* consistit? quinam illi *articuli corrupti*, quoad quos *falsa Ecclesia à vera discriminatur?*

III. *Non satisfacit*: quia id quod affirmat Respondens quòd eo, quo exposuit sensu, *soli Lutherani habeant puram Verbi DEI prædicationem*, *ceteræ autem sectæ minimè*: affirmabit & Calvinista & Socinista & Quakerus &c. dicetque *inductione rem patere*; idque ipsum *tot libros Theologicos manifestè loqui*: Contrarium, cùm voluerit Respondens, ostendere laboret. Scrutator satis ostendit contrarium: quando ad oculum digito intento monstravit, nihil Respondentem dixisse pro sua Ecclesia, quod non pro sua Calvinista, quod non quiscunque alius Sectarius dicere possit: adeoque nihil ad rem propositam respondit. Quin Scrutatoris integrum manet postulatum.

Qualis sit puritas doctrinæ Lutheri?

Non satisfacit IV. Qualis puritas doctrinæ sit Lutheranæ, demonstratum est passim ab Auctoribus Polemicis, ut antiquiores Bellarm. Becanum &c. taceam, Orbi palàm fecit eandem P. Joannes Kwiatkiewicz in suo Fascino seu fraude Hæresiarcharum detecta Cap. V. & VIII. ut aliqua breviter tangam. Quæ puritas doctrinæ in eo, dùm docet Lutherus *polygamiam esse licitam* in Prop. de Pigam. Episcop. & in Gen. 16. An. 1525.

Item

Item *licere divortium inter maritum pauperem, & uxorem divitem* lib. de Cauſ. Matrim. Tom. 5 edit: An. 1530. fol. 123. Item *poſſe fratrem in Uxorem ducere ſuam ſororem Paternam, vel Maternam* lib. de Cauſ. Matrim. edit: An. 1530. Item *licere conjugem conjugi permutare* lib. 1. in Cor. 1. 7. edit. An. 1523. *Mulieres non niſi ad Matrimonium creatas eſſe* (non ergò ad Cælum & DEI cultum) *idemque eſt*, inquit *conſultare, ſitne ducenda uxor, & ſitne comedendum & bibendum* in Epithal. *Si nolit domina: veniat ancilla: in locum Vaſthi Eſther ſurrogata* Serm. de Matrim. pag. 123. Ita orandum docuit. *Domine Deus da uxorem, & panem quotidianum* Cap. 24 Gen. 5. *Fæminas poſſe ad ſacerdotium promoveri* Prateolus. Hortatus eſt ſcripto Wittenbergenſes, qui Lutherum ſecuti primi omnium miſſas abrogârunt, ut in eo incepto etiam contra conſcientiam perſiſterent Sleidanus lib. 3. Prætereo plurima alia, quæ idem Auctor adducit.

Ex his patet nec Ratiocinium Reſpondentis ſubſiſtere, & inſuper eaſdem fallacias, quas Scrutatori objicit, ab ipſomet committi.

CAPUT VIII.

Reſponſio ad Caput X. de Poſtulato ſeptimo trutinatur.

I. §. 2. Ait Reſpondens, *Legitimam Sacramentorum adminiſtrationem ſeorſim abſolvere infallibilem Veræ Eccleſiæ notam, ſed quatenus unà cum puritate Verbi conjungitur.* *Reſponſio Auctoris.*

 Nihil

Nihilominus § 3. addit, *Sacramentis solitariè spectatis argumentationem negativè procedere, v.g. Non adest legitima Sacramentorum administratio, Ergò nec Vera Ecclesia : nequaquam positivè, præcipuè si de Sacramentis distributivè spectatis quæratur.* Tandemque §. 4to ait absolutè, *habere Augustano-Lutheranos legitimam Sacramentorum administrationem, sed non solos: idque haud demonstratione indigere.* Denique § V. adiicit, ut ante ratiocinium, cum afficta petitione principii.

Non satisfacit. II. *Non Satisfacit imo.* Probandum foret, quòd *legitima Sacramentorum administratio, non* ut ait, *seorsim*, sed *quatenus unâ cum puritate Verbi conjungitur*, sit Veræ Ecclesiæ nota? Ubi de hoc S. Scriptura?

2do. Hanc *legitimam Sacramentorum administrationem* unâ *cum puritate Verbi DEI* acceptam, adhuc non esse notam universalem Ecclesiæ Veræ probavêre sat superque Bellarm: Becanus, Massenius & alii.

3tio. Demus illam *administrationem Sacramentorum conjunctam cum puritate Verbi DEI* esse notam Veræ Ecclesiæ, nondum Resp. probavit eam competere Ecclesiæ Lutheranæ. Id verò quod ait competere quidem *illi*, sed *non soli*; contra Respondentem ipsum militat, quia si *non soli* competit; Ergò & est Lutherana Vera Ecclesia, ut asserit; & non est, quia non illi soli competit nota Ecclesiæ veræ, sed etiam aliis; adeòque & aliæ sunt veræ, quia etiam illis convenit illa nota Veræ Ecclesiæ. Nota quoq; illa Ecclesiæ & erit essentialis nota Ecclesiæ, ut asseritur; & non erit; Quia nota essentialis Veræ Ecclesiæ debet se habere velut proprietas essentiæ quarto modo, quæ scil. competat *soli, & semper Ecclesia Vera*: hæc autem nota non soli Lutheranæ, sed etiam aliis ut conce-

concedit Resp. competit, adeòque non est essentialis nota Veræ Ecclesiæ, nec solius Ecclesiæ Lutheranæ.

4to, Ex iis, quæ adfert §. 3. potest Calvinista, aut Socinista &c. contra Respond: arguere à Sacramentis solitariè spectatis negativè argumentando. Apud Luther. non *adest legitima administratio Sacramentorum.* Ergò *nec Vera Ecclesia.* Tantòque diligentiùs tenebit id, quod asserit, *de Sacramentis solitariè spectatis non valere argumentum.* Nempe; *Lutherani legitimè administrant baptismum, Ergò habent Veram Ecclesiam*; concesso enim antecedente, negabunt consequentiam. Et insuper ita concludere sibi fas esse, ipso Respond: Auctore credent Calvinistæ v. g.; Lutherani *non legitimè administrant Cœnam Domini, Ergò non habent Veram Ecclesiam.*

5to. Totum id, quod de sua Religione ratiocinatur Respondens, potest de sua Ecclesia sibi usurpare Calvinista & ceteri heterodoxi: atque adeò nihil respondit ad rem.

Hinc itaq; patet Respondentem Postulato huic haud satisfecisse, neq; cum ratiocinio suo subsistere, atque ipsummet perpetuæ fallaciæ, petitionis principii, ignorationisque Elenchi Scrutatori sine fundamento objectæ, reum esse.

CAPUT IX.

Responsio ad Postulatum Octavum refellitur.

I. Multa hic adducit, ut aliquid respondeat Autor Responsi. Nucleus hic est: Affirmat *solos Augustano-Lutheranos veros habere Ministros.* Ratio, *Responsio Autoris.*

 tio,

tio, quia *apud illos solos vera docentur, Sacramenta verè administrantur, & Ecclesia vera reperitur.* Qui etiam *legitimè vocati, ordinati, & missi.* Idque ex S. Scriptura unica fidei Regula probari; Vel ex iis locis, quibus probatur *sola Lutherana Ecclesia, atque in ea, vera doctrina unà cum legitima sacramentorum administratione*, de quo in Respons. ad Postulatum IV. VI. VII.

Ad idem confirmandum adducuntur aliquæ ex S. Scriptura allegationes Jer. 3. 18. Act: 20. 78. & seq. 2. Cor. 5. 18. Eph. 4. 11. 2. Tim: 2. 2. Concluditur consueto ratiocinio &c. Hæc Responsio.

Non satisfacit 1.

II. *Non satisfacit 1.* Quia petit principium: totum enim quod affirmat, Respondenti probandum incumbit; id enim totum negatur tùm à Catholicis, tùm ab heterodoxis.

2do Totum id quod sibi attribuit, Calvinistæ & ceteri heterodoxi sibi adscribere possunt: omnesque illas rationes & loca Scripturæ pari modo sibi vendicare.

3tio. Committit Ignorationē Elenchi: hìc enim quæritur, an *Lutherani*, id est, illi sectarii, *qui profitentur doctrinā Lutheri, soli veros habeant ministros*? &c quibus solis competant hæc, quæ adducit Resp. Scripturæ loca, quod quidem asserit Respondens: sed frustra: quia neque Jeremias nominando *pastores juxta cor Dei*, qui pascunt suos scientiâ & doctrinâ, dicit hos esse non alios, quàm Lutheri doctrinam profitentes. Neque Paulus in Actis intendit *Episcopos, Doctoresvè*, qui *regant Ecclesiam DEI*, non alios quàm Lutheranos. Unde enim id Respondens pro indubitato asserere potest, nisi divinando? Divinatio autem ejus non est nobis demonstratio. Manet itaque Scrutatoris integrum postulatum unà & ratiocinium à Respondente formatum. CA-

CAPUT X.

Reſponſio ad Poſtulatum Nonum expenditur.

1 MIrè ſeſe hìc Reſpondens partes verſat in omnes, ut aliquid ad hoc Poſtulatum reſpondeat. § 11. ait *mirari ſe Scrutatorem de jure legitimo quæſiviſſe, quaſi etiam Jus aliquod illegitimum inveniatur.* Sed Reſpondens abſtinuiſſet ab hac admirationis nota, ſi ſeſe reflexiſſet ad illud principium, quòd *Omne Ens habeat ſibi oppoſitum.* Sic *Enti ſimpliciter*, ſeu ut ſic, oppoſitum eſt *Ens negativum*, ſeu *non ens ſimpliciter*: Enti vero, falſum; bono, malum; & ſic de ceteris. Ita & jus ut ſic, ſeu ſimpliciter habet oppoſitum non jus ſeu injuriam ut ſic ſeu ſimpliciter; Jus autem legitimum, non jus legitimum, ſeu quod idem eſt illegitimum, oppoſitum habeat neceſſe eſt, eritque illud jus cum legitimo non univocum, ſed æquivocum: ſicut pſeudo-Propheta, aut Pſeudo-Doctor æquivocè eſt Propheta ſeu Doctor, ſic & juſtitia Phariſæorum dicta eſt à Domino juſtitia Matt. 8. quamuis in re fuerit injuſtitia, & æquivocè ſolùm dicta juſtitia. Optimè S. Paulus negat *participationem eſſe juſtitiæ & iniquitatis*; nimirum univocè & verè, ſed non negat poſſe dari participationem æquivocè, palliatè, & falsò, eritque in re illa juſtitia ipſamet injuſtitia. Rectè igitur quærit Scrutator, *an* Neo-Evangelici prætendentes reformationem Eccleſiæ Cathol: Romanæ, habuerint *jus legitimum eam reformandi?* ratio enim dubitandi eſt; quia, ſi datur Pſeu-

Reſponſio Authoris negat dari Jus illegitimum.

Probatur dari Jus etiam illegitimum.

Pſeudo-ſeu falſo-verum, pſeudo ſeu falſa-prophetia, juſtitia &c. cur non & pſeudo ſeu falſa reformatio Eccleſiæ? præſertim in tanta concurrentia tot prætendentium veram reformationem. Rectè igitur quæritur, an, & cui omnium Religionum reformantium competat verum ac legitimum jus defacto reformandi Eccleſiam? Lutheranæ, an cuicunque alteri?

Adducuntur ulteriùs ea, quæ reſpondet Autor.

II. Arguit deinde § 2 Reſpondens Scrutatorem *fallaciæ plurium interrogationum.* Sed eam minimè cadere in illum patet ex ſupradictis, uti nec *fallaciam Homonymiæ.*

§ 3. ait, quòd *in ſalutari Eccleſiaſticæ Reformationis opere ſolus Deus locum cauſæ efficientis principalis obtineat; homo nonniſi cauſæ inſtrumentalis; at Deus duobus modis agere poteſt, juxta potentiam abſolutam & ordinatam:* Quoad primam negat quæſtionem: *nam ſic etiam heterodoxi, ſi eoſdem DEUS contra propriam ipſorum voluntatem adhibere voluerit, jus habent ad reformandos reliquos heterodoxos:* quod exemplo Bileami Num. 23. 24. comprobat: quin & ipſi aſinæ Bileami jus reformandi Dominum ſuum adſcribit Num. 22. 30. *quin & lapides, ſi loqui potuiſſent, jure tali polluiſſent* Luc: 19. 40. quare concludit, *hoc ſenſu Deum præter Lutheranos etiam aliis ad reformandum Papatum uti poſſe.*

§ 4. autem ad alteram partem diſtinctionis deſcendit: nimirum *de poteſtate*, ut ipſe vocat, *ordinata: an* ſcilicet, *juxta potentiam ordinatam agere volente ſoli Lutherani habeant jus reformandi Eccleſiam:* & hanc quæſtionem iterum ſubdiſtinguit per hypotheſin. *Si enim Lutherani, ait, Antagoniſtæ ſunt, qui nomine hoc nunc inſigniuntur,* & *per idem nomen hodiè ab aliis cætibus diſtinguuntur,* iterum *negat quæſtionem.* Nam id *egregiè cenſet feciſſe teſtes Veritatis, qui ante Lutherum floruerunt* (quos ſolùm præteritionis figurâ memo-

memorat) *Papatui sese masculè opponentes, atque ita Ecclesiam quantum in ipsis fuit, legitimè reformârunt. Et*, insuper *minùs errans, vel in hoc articulo errans, jus habet reformandi magis errantem, vel in alio articulo errantem, id quod in Pharisæis & Scribis, videre est Matth.* 23. 2. & sequent. *Si autem nomine Lutheranorum intelligas, qui doctrinæ Lutheri ad minimum in articulis reformandis, uno, aut pluribus conformiæ proferunt, quodcunque nomen gerant, quocunque etiam tempore vivant seu vixerint; sic quæstionem affirmat.* Rationem dat. Nam *dogma Lutheranorum in tali sensu, est ipsum dogma Spiritûs S. in Scriptura Divinitùs inspirata contentum. Sic ergò* (concludit) *ordinariè soli Lutherani hoc est, illi qui cum Luthero consona Scripturæ S. docent, aut docuerint, jus habent reformandi, hoc est, ad formam sanorum Verborum revocandi 2. Tim: 1. 13. Ecclesiam Romanam &c.*

§ 5. Ait *Quæstioni juris assui quæstionem facti*, An scil. *soli Lutherani Eccles: Cathol: Romanam jure, ritè, debitè ac legitimè defacto reformârint ?* dicitque *de hoc non esse laborandum. Qui enim jus habent ad reformandum, illi cùm reformant, jure suo utuntur* &c. *In reliquis novam ambiguitatem latere*, ait : *Nam si verba illa ritè, debitè, ac legitimè referuntur ad subjectum agens ; sic Lutherani quantùm ab ipsis requiritur, Ecclesiam Romanam ritè, debitè, ac legitimè reformârunt : nam dixerunt erranti, quæ dicenda erant, atque ita liberârunt animam suam. Ezech. 3. 19. Si autem illa verba referuntur ad objectum patiens, sic Lutheranos ritè, debitè, ac legitimè reformâsse Ecclesiam Romanam, negatur. Nam magna Romanæ Ecclesiæ pars cùm lucem à reformantibus oblatam amplecti debuisset, adhuc tenebras magis, quàm lucem amat* Joan. 3. 19. *Nec reformata est quoad eventum, etsi eam Lutherani reformârunt, quoad intentionem & conatum.*

§ 6. Putat *æquivocè quæri, An ceteræ à Luther: diversæ, nullum jus Ecclesiam Romanam reformandi habeant, eamque nullo jure reformârint* &c. *Nam sectæ à Luther. diversæ spectatæ in sensu reduplicativo, nullo reformandi jure pollent : spectatæ autem in sensu specificativo, quatenus scil. cum Lutheranis conveniunt, hoc est ratione articulorum utrinque concessorum, sic jure reformandi gaudent.*

§ 7. *Dolum* suspicatur *subesse ultimis in eadem quæstione verbis scilicet hisce, an Sectæ à Luther. diversæ Ecclesiæ Catholicæ Romanam nullo jure reformare aliquando præsument ? Nam Ecclesia Romana* (ait) *spectari potest qualis nunc est, & qualis in posterum subnatis novis erroribus fieri potest.* Quoad eam *qualis nunc est, semper jus retinet eam reformandi* : Quoad eam *qualis futura, cùm non sit exploratum, utrum, & in quales errores sit se præcipitatura, frustrà requiritur ejusdem reformatio, cùm futurorum contingentium nemo habeat determinatam Veritatem.*

§ 8. Instituit simile præcedentibus *ratiocinium* : affectis fallaciis *petitionis principii, plurium interrogationum* : hæc Responsio.

Non satisfacit Responsio.

II. *Non Satisfacit I.* Nam præter dicta circa §. 2dum *concessâ illâ duplici potestate DEI, tanquam causæ efficientis, reformandi Ecclesiam absolutâ & ordinariâ*, de qua ait §. 3. & 4. totum id, quod de Lutherana Religione ait Respondens, potest Calvinista, vel quiscunque alius heterodoxus de sua asserere, ac pauculis mutatis sibi applicare. Adeòque nihil pro sua religione in medium adduxit, quoad *jus reformandi Ecclesiam Romanam* specialiter ac differentialiter, consequenter responsione sua petit principium, ignorat Elenchum.

III. *Non satisfacit* Transmissis iis, quæ ait *de potestate Di-*

vina absoluta reformandi Ecclesiam § 3. non demonstrat §. 4. Lutheranos solos habere potentiam ordinariam DEI, jus legitimum reformandi Ecclesiam. Nam inprimis non illud habent, quatenus hoc *Lutherano nomine illi soli insigniuntur, & per idem hodiè ab aliis cœtibus distinguuntur*, id quod ipsemet Respondens ultrò concedit. Non etiam habent quatenus *nomine Lutheranorum accipiuntur etiam ii, qui doctrinæ Lutheri ad minimum in articulis reformandis uno, aut pluribus conformia proferunt, quodcunque nomen gerant, quocunque etiam tempore vivant, seu vixerint*: Nam inprimis tales & erunt Lutherani adeoque ejusdem cætus seu Ecclesiæ cum Lutherana, ut ipse asserit; & non erunt, quia supposito quòd *in aliis articulis dissentiant à Lutheranis, etsi conveniant in uno aut pluribus reformandis*, jam eo ipso non possunt verè dici ejusdem Ecclesiæ cum Lutherana, nam *bonum ex integra causa*. Deinde si cætus ille dissentit in aliquibus à Lutherana Ecclesia, (quam ab ipsis suppono Lutheranis haberi pro Vera Ecclesia Christi) Ergò cætus ille, est cætus Belial: quia non consentiens in omnibus cum Lutheranis, *malum* enim *ex singulis defectibus, & qui offendit in uno, omnium reus est* Jac 2. 10. *Quæ* autem *conventio Christi ad Belial?* 2. Cor. 6. adeoque quomodo *ille cætus hominum potest convenire in unam Ecclesiam cum Lutherana?* quomodo habere *jus reformandi* Ecclesiam unà cum Lutheranis?

Lutherani non habent per ordinariam potentiam DEI jus legitimum reformandi Ecclesiam.

IV. Præterea hac suæ Ecclesiæ acceptione admissa, Respondens facit suam Ecclesiam Chimæricam, quia vix non omnium hæresum atque errorum *quodcunque nomen gerant, quocunque etiam tempore vivant, seu vixerint*, receptaculum. Nam nulla est fermè, nec fuit hæresis, quæ non *in aliquo articulo uno aut pluribus conveniat, & confor-*

Quo modo Ecclesiam Lutheranam Respondens facit Chimæricam.

mia proferat doctrinæ Lutheri; in quo aut in quibus ipse prætendebat Ecclesiam reformare, id quod à Bellarm: cæterisque qui polemica scripsêre, fusiùs demonstratur, quorum catalogum hic adducere non est hujus loci, qui tot ac tam diversa nomina gerunt, tamque diverso tempore abinuicem vixerunt. Ut tamen res clariùs ad oculum pateat, aliquot saltem hæreses ab ipsismet Lutheranis proclamatas attingemus. Lutherani prætendunt se legitimè reformâsse Ecclesiam Romanam quoad *cultum SS. Martyrum*, *Virginitatis* item, atque *liberi arbitrii usum*. Atqui hisce articulis reformandis conformia docuêre Manichæi teste August. lib. de Morib. Manich. & cont. Faust. & Genebr: circa An. 277. *Cultum* item *Sacrarum Imaginum*, *Venerationemque Sacrarum reliquiarum* tollunt Lutherani. Atqui & illum Iconoclastæ, & hanc Vigilantiani tollebant. Prætendunt Lutherani reformationem Ecclesiæ, quoad articulum *de fide*, docentes ita *fidem solam justificare, ut nulla homini peccata noceant habita fide*. Atqui huic articulo conformia proferebant Eunomiani, Eustatiani, Porphyriani teste Aug. de Hæres. C. 54. Prætendunt Lutherani reformationem quoad articulum *de Concupiscentia* docentes *concupiscentiæ motum ante consensum verè esse peccatum*. Atqui Messaliani huic consona docebant: apud Prateolum & alios. Prætendunt Luther. reformationem quoad articulum *de Orationibus pro mortuis*, & *jejunia*, ac proinde hæc rejiciunt: Atqui ea etiam rejecisse Aërianos docet Epiph. hæres. 75. Prætendebat Lutherus reformationem Ecclesiæ quoad *sacerdotium* docendo *fæminas posse ad sacerdotium promoveri?* teste Castr. V. Mulier & Prateolo. Atqui huic conformia proferebant Pepuziani teste D. Aug. de hæ-

Antiquis Hæreticis conformia docent Lutherani.

hæres. Cap. 27 apud Prateolum. Prætendunt reformationem Luther. in articulo *de Ciborum delectu*, & *Jejunio, neutrum esse meritorium* docentes Confes. August. Art. 24. Atqui Joviniani conformia proferebant teste Hieron. &c. &c. &c.

Hæc quoad antiquas hæreses & hæresiarchas: Quid dicam de præsentibus sectis? ut taceam plures alios articulos & attingam duntaxat, ut ipsi vocant, fundamentalem, & qui se habet apud illos per modum primi Principii. Nimirum de *Regula*, & *regulante, seu Judice fidei* quoad hunc articulum prætendunt Lutherani reformationem Ecclesiæ Romanæ docentes *solam S. Scripturam esse regulam & regulantem, seu Judicem, & arbitram fidei exclusâ Ecclesiæ Catholicæ authoritate.* Atqui huic articulo conformia docent Socinistæ, Calviniani, Mennonistæ, ipsi etiam Quakeriani, quos quoad hunc articulum idem in re docere demonstro in Scrutinio Veritatis fidei Discursu 1. &c.

Etiam cum recentibus quoad articulum de Regula fidei conformia docent.

Quod si igitur hos omnes, *qui tot ac tam diversa gerunt nomina, tamque diverso tempore abinuicem vixerunt*, in suum cætum admittit Respondens tanquam legitimos in quocunque articulo fidei unâ cum suo Luther. cætu reformatores Ecclesiæ, prô! quàm ille Chimæricum, monstrosumque corpus facit suam Ecclesiam!

V. Ad hæc admittit Respondens ad suum cætum Lutheranum prætendentem per potentiam ordinariam DEI Jus legitimum reformandi Ecclesiam eos, *qui doctrinæ Lutheri ad minimum in articulis reformandis uno aut pluribus conformia proferunt, quodcunque nomen gerant, quocunque tempore vivant, seu vixerint.* Quid de illis dicet, qui idem jus reformandi Ecclesiam prætendunt in articulis uno aut plu-

Jus reformandi Ecclesiam prætendent etiam ii qui difformia doctrinæ Lutheri docent.

ribus difformibus doctrinæ Lutheri? Quo argumento probabit illos non habere legitimum jus reformandi Ecclesiam in difformibus Lutheri doctrinæ articulis? Hi certè à legitimo jure reformandi Ecclesiam reiicient Lutheranos, quo pacto probabit Resp. illos id absque fundamento facere? Jure se id eodem facere dicent illi, quo Resp. idque eò, quod illi soli in difformibus illis articulis à doctrina Lutheri, consona S. Scripturæ doceant, Dicent solos se habere jus reformandi Ecclesiam, hoc est, *ad formam sanorum verborum revocandi* 2. Tom. I. 13. (ut interpretatur Respondens) *qui cum illis consona S. Scripturæ docent aut docuerunt.* Atqui negabunt id facere Lutheranos: Negabunt proinde & legitimè Ecclesiam reformare in difformibus articulis à sua doctrina.

Reformatores Ecclesiæ in modo reformandi toto Cælo dissentiunt.

VI. Insuper, certum est, in aliquibus articulis, in quibus reformationem prætendunt Lutherani, in eisdem etiam prætendere alias heterodoxas Sectas, & tamen in modo eos reformandi toto cælo dissentiunt. Sic reformant Luther: articulum de usu Eucharistiæ sub utraq; specie; eandem reformare contendebant Hussitæ, sed alio modo: nam Hussitæ ita necessitatem Utriusque speciei adstruebant, ut asseruerint in specie panis esse solam carnem sine sangvine, in calice solum sangvinem sine carne; Lutherani autem plerique id negant. Calviniani quoque ejusdem articuli reformationem prætendunt, ast negant realem præsentiam Carnis & Sangvinis Christi, solam spiritualem per fidem & figuram adstruentes; cui contrarium tenent Lutherani, cui potiùs harum parti deferendum erit jus reformandæ Ecclesiæ? quo pacto hi heterodoxi circa unum eundemque articulum aliqua conformia doctrinæ Lutheri proferentes, alia autem dif-

formia, in unum cum Lutheranis cætum jus reformandi Ecclesiam quoad hunc articulum coalescent? Quid dicam de Socinistis, Mennonistis? Sacramenta rejicientibus, pro solis Ceremoniis, baptismum & Eucharistiam habentibus, Quakeris planè rejicientibus? Quid dicam de Ceremoniis & ritibus: quàm hi diversi in administratione Sacramentorum baptismi, Cænæ Domini? &c. &c. Annon ex hoc Corpore iterum chimæra ac immane Lutheranæ Ecclesiæ monstrum enascitur? Quid dicam de ipsomet uno eodemque cætu Lutherano? in quo ipsæ Confessiones Augustanæ primò procusæ inter se in pluribus articulis reformandis dissident, ut probatum est in Scrutinio Veritatis fidei discursu x. Ipsæ item Academiæ in certis reformandis articulis similiter disconveniunt, atque se se invicem proscindunt errorisque damnant. O præclaros ovilis Christi Custodes! O egregios Ecclesiæ reformatores! verè ipsosmet reformandos, qui discant priùs è *proprio oculo trabem*, & tum primùm ex Ecclesiæ *festucam* ejicere. Certè legitima reformatio non potest à quoquam fieri, nisi per Spiritus S. operationem: Divinus autem Spiritus est *Spiritus unitatis*, non dissensionis, uniformitatis non difformitatis, *Veritatis*, non falsitatum & errorum. Quis igitur hosce Reformatores dicat Divino actos Spiritu, & non potiùs Spiritu Vertiginis?

Ex his igitur patet Lutheranos, etiam quoad illos cætus spectatos, qui *doctrinæ Lutheri ad minimum in articulis reformandis, uno, aut pluribus conformia proferunt, quodcunq; nomen gerant, quocunque etiam tempore vivant, seu vixerint*, nullum jus legitimum habere reformandi Ecclesiam etiam per potentiam DEI ordinariam sibi concessam.

VII. *Non satisfacit* 3. In quantum ait, *testes Veritatis* Non Satisfacit 3tio.

ante Lutherum Papatui se masculè opposuisse, atque ita Ecclesiam quantum ex ipsis fuit, legitimè reformâsse: Opposuisse se quidem Ecclesiæ non negamus, at minimè mascula virtute; nisi mascula virtus respondenti sit, scindere vestem Christi inconsutilem, seditiones excitare, tubam facemque belli agere contra Ecclesiam unicam Christi sponsam, Matremque fidelium. Atqui tales fuêre illi si Dìs placet; testes Veritatis, non alterius certè, quàm hujus, quæ ipsius Divinæ Veritatis oraculo pronunciata, *qui non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus,* & *qui vos spernit, me spernit* &c. Hos verò ipsos Ecclesiam reformâsse quantum ex ipsis, legitimè minimè concedimus. In Catalogum enim ab Illyrico primùm hi relati testes Veritatis præcipuè fuêre Waldenses, seu Pauperes de Lugduno, ac Leonistæ dicti à Petro Waldo autore hujus Sectæ circa Annum D. 1160. Deinde post hos recensentur Wiclefitæ, Thaboritæ, Hussitæ: Hi autem tantùm abest, ut Ecclesiam reformaverint legitimè, ut potius eam illegitimè ac turpiter deformaverint: ut enim taceam eos tumultibus ac cædibus hominum orbem ac urbes replêsse; novam at deformem faciem, quin laruam Ecclesiæ inducebant, id quod patet ex ipsis illis articulis Waldensium, quos Autores dicti Catalogi lib. 15. Col. 1518. ex Reinero adducunt, nec eos ipsi Lutherani probant. Waldenses enim illi, ut ceteros taceam, *omnia Sacramenta Ecclesiæ damnabant.* Docebant quòd *bonus Laicus etiam mulier, Si scit Verba consecrationis, conficiat Sacramentum Eucharistiæ:* Quòd etiam *bonus Laicus habeat potestatem absoluendi à peccatis.* Quòd *Eucharistia non fiat in manu indignè conficientis, sed ore dignè sumentis, & confici possit in mensa communi,* ex Malach. In *omni loco*

Testes Veritatis ante Lutherum nequaquam Ecclesiam reformârunt.

Waldensium Sectæ ortus.

Eorum doctrina.

loco offertur &c. *Sacramentum*, item, *conjugii damnabant*, dicentes *mortaliter peccare conjuges*, si *absque spe prolis conveniant*. *Gradus affinitatis carnalis*, & *Spiritualis spernebant* &c. *Sacramentum Ordinis nihil esse dicebant* : quòd *omnis bonus Laicus sit sacerdos*. Quòd *omnis bonus Laicus*, & *fœmina debeat prædicare* 1. Cor. 14. 5 *Volo Vos omnes loqui* &c. *Ecclesiam mutatam* reputabant *ut horreum*. Act. 17. *Non in templis manu factis habitat*. Dicebant, quòd *omne juramentum* sit *mortale* Matt. 5. *Nolite jurare* &c. Qui dicit *Verè* vel *certè*, reputabant *juramentum*. Plusquam *homicidam reputabant*, *qui cogit jurare &c*. Dicebant quòd *omnes Judices & Principes damnentur*, & *maleficos non damnandos* Rom. 10. *Mihi Vindictam & ego retribuam* &c. Ergò secundùm Respondentem hi testes Veritatis, quantum ex ipsis, legitimè Ecclesiam reformârunt ! O verè præclaram deformationem, quam vel ipse Respondens horreat, non ambiat. Si enim ambit & amat, cur non his consona profert & promulgat?

An & in quibusnam articulis, reformârint Ecclesiam?

VIII. Quæro deinde ex Respondente, in quonam hi testes Veritatis legitimè reformârint Ecclesiam? An in his, qui jam adducti articulis, an in aliis? in his certè non concedet; quia haud illos cum Waldensibus tenet, approbat & docet: In quibus igitur? num in illis, in quibus gloriantur, quòd *ipsi justè vivant*: quòd *Evangelium nemo servet præter se*: quòd *ipsi sunt verè pauperes spiritu*? quòd *ipsi sint Ecclesia Christi* &c. Atqui hæc gloriatio semper fuit, & est omnium hæreticorum Ecclesiam illegitimè oppugnantium. Quodsi censeat illos legitimè reformare Ecclesiam in iis, quæ contra Ecclesiam virulento animo & ore effundebant: ut quòd *Papa & Episcopi omnes sint homicidæ*. Quòd non sit *obediendum Prælatis*, *sed tantùm DEO* A-

ctor: 5. *oportet DEO* &c. Quòd *nemo major sit altero in Ecclesia* Matth. 23. 8. *omnes Vos fratres &.* Quòd *nemo debeat genua flectere sacerdoti.* Quòd *decimæ non sint dandæ.* Quòd *immunitas Ecclesiæ, & personarum, & rerum Ecclesiæ sint spernendæ; Concilia, conventus, & synodi despiciendi* &c. &c. At etiam hæc, quàm insulsa & salubri indigna sint palato, Respondens si sanæ mentis gustum haud amisit, vel primis labris facilè delibat! Non itaque video, in quonam hoc hominum genus Ecclesiam legitimè, quantum ex ipsis, reformârit.

IX. Nec plùs reformationis specto factum à cæteris tum Thaboritis, Wiclefitis, Hussitis: Ecclesia enim in solida Petri petra à Christo Domino ædificata, inconcussa consistit, his velut maris fluctibus confusiones suas ipsa allisione ad hanc petram despumantibus, & cum vento vanitatis evanescentibus. Ubi enim jam illi *masculi* Respondenti *reformatores* Ecclesiæ *Waldenses*? ubi *Wiclefitæ*? ubi *Thaboritæ? Hussitæ?* Migrâsse fortè credat eorum genios & ingenia ementita metempsychosi in Lutherum, ejusdemque sequaces? si ita? ô dignam planè tantis avis, atavisque nobilitatam posteritatem! Gloriabiturne quisquam ingenuæ mentis Lutheranorum tam ignobili Parentum prosapia! Quid quòd eidem Wiclefitæ, Thaboritæ, Hussitæ, longè magis cum Romana Ecclesia consentiant, quàm cum Lutherana: nam hos & *operum justitiam,* & *Invocationem Sanctorum,* & *Purgatorium,* & *Sacramenta VII,* & *satisfactionem pro peccatis,* aliaque id genus Lutheranis detestata, admisisse ex Confessionibus eorum constat.

Quin ipse Catalogus testium de ipsis parùm magnificè

ficè ſenſit, ſuopte non alieno judicio col: 1506. *Politia* inquit, *porrò eorum Eccleſiæ varia* fuit; *haud enim ſcio, an uſquam diu publicè ſeu manifeſtè ſuam doctrinam ſint profeſſi, ſuas Ceremonias & Conciones publicè peregerint, præterquam in Bohemia, & in quadam Valle ad radices Alpium* &c. Et hæc eſt Reſpondenti *maſcula Virtus* eorum, quâ ſe non in aperto ſole, ſed latebris clanculùm Eccleſiæ oppoſuêre! hæc eidem illuſtris ac legitima, quantum ex ipſis, Eccleſiæ reformatio! ſi ſe filium lucis æſtimat, eccur non potiùs eos in teſtes Veritatis manifeſtæ aſſumat, qui toto orbe omnibuſqué ſeculis conſpicui agnoſcunt Deum *in ſole poſuiſſe tabernaculum ſuum*, id eſt viſibilem omnibuſqué aſpectabilem ſuam conſtituiſſe Eccleſiam, ut eum pſalmi locum explicat egregiè D. Auguſtinus, *in manifeſtatione* inquit *poſuit Eccleſiam ſuam, non in occulto*, & Epiſt. 166 ad Donatiſtas. *Ipſa eſt Eccleſia in ſole poſita, id eſt, in manifeſtatione, omnibus nota uſque ad terminos terræ.*

X. Non ſatisfacit 4to. Quia quicunque aliquando jus legitimum reformandi Eccleſiam à DEO accepêre, Illi inprimis ſunt ab eodem ad tam ſublime opus Angelicis etiam humeris formidandum ſingulariter electi, vocati, miſſi; illi ſingularibus gratiis à DEO ad tam grande munus ornati; illi eximiis claruêre miraculis; illi vitæ, morum, ac virtutum probitate fuêre eximii, per Jejunia & orationes, per continentem vitam, abnegationem & contemptum ſui, ac ſuorum omniumqué rerum mundanarum, quam D. JESUS ſuis diſcipulis primam ac principem virtutem commendavit: Matt. 16. Luc. 14. &c. Per mortificationem ſpiritûs, quo *facta carnis mortificanda, ut vivamus*, monet Apoſtolus Rom. 8. Per humilitatem, manſuetudinem, quam à ſe diſcendam

Non ſatisfacit.

Reformatores Eccleſiæ quales eſſe debeant.

docuit D. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde* Math. 10. Per patientiam, *in qua possidendas animas nostras*, Lucæ. 21. affirmat. Denique per omnigenarum virtutum exercitium. Sic Moysen ad reformandam Ecclesiam Israëliticam à DEO inprimis ad id munus electum, vocatum, ac missum, gratiâ virtutum ac miraculorum ornatum, Probitate vitæ ac morum, Jejuniis, oratione, vita continente, abnegatione, ac contemptu sui eximium, adeò ut etiam deleri de libro vitæ optârit pro populo; mortificatione, humilitate, mansuetudine, patientiâ, ceterisque virtutibus illustrem fuisse, cui non constat? Idem dictum esto de Elia similiter reformatore Ecclesiæ Israeliticæ, quantus ac qualis hic vir fuit? quantæ sanctitatis, continentiæ, mansuetudinis, charitatis? quàm clarus miraculis? Maximam Ecclesiæ reformationem instituit Filius DEI tum per se ipsum, tum per Joannem Præcursorem suum inprimis, tum per suos Apostolos, à se ad id electos: *Ego vos elegi, ut eatis & fructum afferatis*. Joan 15. 16, vocatos; *Venite post me, faciam vos piscatores hominum*. Matth. 4. 19, Missos; *Ite, ecce ego mitto vos* Joan. 20. 24. At hi omnes quantis à DEO gratiis & donis condecorati? quantis coruscavêre miraculis? quàm Sanctam, continentem, humilem, mansuetam, patientem vitam egêre? quanti sui, mundi, rerumque mundanarum contemptores fuêre?

Qualis fuit, Moyses.

Qualis Elias?

Qualis Joannes Baptista?

Quales Apostoli?

Et quid obsecro horum convenit Luthero? ac Lutheranis Prædicantibus reformatoribus scilicet Ecclesiæ? audebuntne, unicam his similem virtutem, atque virtutis saltem speciem in lucem proferre? Quæ amabò in Luthero vitæ, doctrinæ, morumque probitas? quæ Jejunia & orationes? quæ continentia carnis? quæ abnega-

Talisne Ecclesiæ Reformator Lutherus & Prædicantes?

negatio & contemptus sui, ac mundi? quæ mortificatio spiritu factorum carnis? quæ humilitas, mansuetudo, patientia &c? quæ gratia miraculorum? Et tamen hic Cælo missus, Respondenti & Lutheranis Reformator Ecclesiæ creditur!

Liceat hìc cum S. Paulo exclamare, *O insensati* (Lutherani) *quis vos fascinavit non obedire Veritati* Gal. 3. Romanæ Catholicæ tam Sanctæ, tam antiquæ, tam universali, tam semper consentienti! *Sic stulti estis, ut cùm spiritu cæperitis, nunc carne consummemini.* Etenim prætensam à vobis Ecclesiæ reformationem non *Pater Cælestis*, sed *Caro & sanguis* Luthero vestro revelavit, qui cùm spiritu vitæ religiosæ DEO juramenti vinculo obstrictæ cæperit, carne consummavit; nihil planè eorum, quæ spiritum ac spiritualia, sed quæ putè & purè carnem ac carnalia redolent loquens, agens, scribens, docens, prædicans, eis denique immoriens: (neque enim legitur ea revocâsse, aut pro iis pænitentiam egisse ante mortem) carne verè consummavit.

Jam autem ut concludam verbis melliflui Doctoris Divi Bern. serm. 2. in die SS. Petri & Pauli. *Quantumcunquè extiterit conversatio spiritualis, si carnalis fuerit consecutio nostra, vitæ illi spirituali penitùs non cohæret, nec caro & sanguis Regnum DEI poterunt possidere.*

XI Non satisfacit 5to. Quoad § 5tum, quo ad quæstionem facti respondet affirmativè *solos Lutheranos Ecclesiam Cathol. Romanam jure, ritè, debitè, ac legitimè defacto reformâsse.* Negamus etenim id ipsum cum ea, quam pro asserto suo adfert ratione: neque enim habuisse ullum jus Lutherum Ecclesiam reformandi declaratum est immediatè: Ergò nec defacto reformavit. Neque con-

Non satisfacit 5.

Lutherani defacto Ecclesiam nec jure nec legitimè reformârunt.

concedimus, quod ultra ex opinione sua affirmat Respondens: quòd scilicet *Lutherani, quantum ex ipsis, legitimè Ecclesiam reformârint*. Nec concedimus, quòd *dixerint Ecclesiæ erranti, quæ dicenda erant*: negamus enim suppositum inpr: errâsse illam, ac deinde Lutheranos dixisse ea, quæ dicenda erant. Quin verecundari deberent potiùs posteri Lutheri, verecundanturqué quibus honestatis ruborem æqui bonivè amans genius in genis depinxit, quòd talia ausus est dicere, quæ planè haud ulli, nisi fortè ebriæ sui, aut emotæ mentis, dicenda fuerant: Loquuntur id palàm ejus colloquia mensalia & cæteri passim Libri. Negamus item à Romanâ Ecclesiâ requisitum fuisse (quo enim arbitro legitimè ac jure requirente?) ut à Lutheranis acciperent reformationem; Cur enim non potiùs ab aliis similem reformationem eodem, quo Lutherani jure necquicquam prætendentibus? Negamus *magnam Ecclesiæ Romanæ partem à reformantibus*, nescio quam *lucem amplecti debuisse*. Quænam enim *illa magna Ecclesiæ pars*? *quæ lux* tam amabilis? ut ab illa amplexum mereretur? Negamus, quòd eadem *tenebras magìs quàm lucem amat*. Concedimus *haud reformatam quoad eventum*, nec diffitemur *à parte Lutheranorum haud defuisse reformandi intentionem, ac conatum*: at illum planè, quo *portas inferni* eidem Ecclesiæ opponendas prædixit Salvator, sed casso molimine, quia *haud prævalituras*.

Non satisfacit. 6

Neque aliæ Ecclesiæ jus legitimum Ecclesiam reformandi habent.

XII. Non satisfacit 6. Quoad § 6tum. Nulla enim certè subest æquivocatio in hisce verbis, *an cæteræ à Lutheranis diversæ sectæ, nullum jus habeant Ecclesiam Romanam reformandi, eamquè nullo jure reformârint*? Distinctio Respondentis non valet. Nam *sectas specificativè spectatas, prout cum Lutheranis conveniunt, hoc est, ratione articulorum*

utrinquè concessorum, unam cum Lutheranis Ecclesiam facere, Chimæricum quid esse, ostensum est. Sed hoc etiam dato, sicut negavimus Lutheranis ipsis jus reformandi Ecclesiam absolutè, sic negamus idem jus habere sectas alias *specificativè spectatas* prout cum Lutheranis conveniunt. Neque enim jus illud ullo argumento apodictico ex S. Scriptura unica fidei regula & Judice demonstrare possunt, æquè ac ipsi Lutherani haud illud demonstrant pro semetipsis.

Quid si autem & aliæ sectæ v. g. Calvinistæ ita argumententur, quòd Lutherani reduplicativè quà Lutherani spectati non habeant ullum jus reformandi Ecclesiam; etsi specificativè spectati, quatenus cum illis conveniunt, habeant. Quo argumento refellet Respondens Reformatum id absque fundamento asserere. Quodcunque attulerit, in ipsummet devolvetur.

XIII. Non satisfacit 7. Quoad § 7. Frustra enim *dolum suspicatur subesse ultimis in quæstione Verbis*, scilicet hisce: *An secta a Lutheranis diversæ Ecclesiam Cathol: Romanam nullo jure reformare aliquando præsument?* Non inquam his Verbis dolus subest, sed simplex & aperta est inquisitio. Ratio enim dubitandi hæc occurrit; quia præterito sæculo liberum sibi, quin æquum atque de jure incumbere persuadebat Lutherus cum suis, Calvinus cum suis, Socinus cum suis, Memno cum suis &c. Ecclesiam Romanam reformare, Cur igitur non possent hoc, ac secuturo seculo exoriri tales, qui similem Ecclesiæ reformationem prætenderent? Quin defacto hoc sæculo videmus ejusmodi reformatores incrementa sumere, Quakeros nimirum seu Tremulos, qui sibi verum ac legitimum Ecclesiæ non tantùm Romanæ, sed & ipsorummet Pro-

Non satisfacit 7.

Jus enim reformandi Ecclesiam posset sibi aliqua secta attribuere eodem, quo Lutherus, aut alii jure.

Protestantium reformandi jus adscribunt; id quod in Scrutinio Veritatis declaravi. Non igitur ultimis Quæsiti Verbis ullus subest dolus. Major autem & apertus dolus latet in Respondentis dicto, quo affirmat, quòd *omnes sectæ, adeoque etiam possibiles à Lutheranis diversæ, semper jus retineant Ecclesiam, qualis nunc est, reformandi.* Unde enim illi hæc decretoria sententia contra Romanam Ecclesiam? Cur non habeant illæ semper jus potiùs reformandi Ecclesiam, qualis nunc est Lutheranam? Audi & sequere Christum. *Ejice priùs trabem de oculo tuo* &c.

Denique ratiocinium, quo more suo concludit hoc Caput, stat firmum, id quod jam ex dictis patet: Cui frustra negat Majorem: Minor quoque non secundùm quid, sed simpliciter concedenda; Conclusio suâpte naturâ sequitur.

CAPUT XI.

Discutitur Responsio ad Postulatum Decimum.

I. LEvi brachio, hoc & reliqua postulata se absolvere velle testatur Respondens § 1. Videamus annon gravi potiùs, ac vel à robore pondus habente brachio indigeant? Atque ita omninò patet, vel ex eo, quia cùm de Postulato IV. V. & VI. satis actum esse sibi persuadet, potiùs non satisfactum, quin nihil actum agnoscat Respondens necesse est, si seposito partium affectu, rationum ac argumentorum momenta, quæ in contra adferuntur, æqua mentis lance & ad veritatis Libellam expenderit. § 2.

§ 2. Ante omnia notat, quòd *Symbolorum quatenus S. Scripturæ distinguuntur, necessitas non sit absoluta, sed conditionata: posset enim Ecclesia Verbo DEI contenta esse, & symbolis planè carere, imò caruit &c. &c.* His non immoramur, etsi quispiam asserto huic Respondentis sese opponere posset dicendo symboli & Confessionis fidei semper in Ecclesia necessitatem fuisse absolutam omninò, non conditionatã tantum; symboli inquam & Confessionis saltem Verbô traditæ & expressæ, etsi non scripto. De hoc enim S. Scriptura videtur testari absolutè, quia Christus D. ait: *Omnis qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo* Matth. 10. 32. Ex quibus Verbis posset erui absoluta necessitas Confessionis Christi, adeoque & omnium aliorum articulorum de Christo & connexorum cum illo, scil. Patris, & Spiritus S. adeoque mysterii SS. Trinitatis &c. &c. Nam hæc particula *omnis qui*, designat absolutam necessitatem; quia procedit universaliter, generico complexu omnium, & singulorum hominum confessionem requirens. Sicut cùm dicitur: *Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit* Matth. 10. absoluta perseverantia requiritur, ita hìc. Confirmatur ex S. Paulo, qui Rom: 10. ait expressè: *corde creditur ad Justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sicut igitur salus absolutè necessaria est homini, ita & confessio fidei ore, quæ corde creditur ad justitiam. Unde, ut benè notat Laurent: Beyerlinck in *Theatro vitæ Humanæ V. Catechesis* olim Mysteria fidei, (adeoque symbolum) viva voce peragebantur, & non committebantur scripto, ne in manus infidelium devenirent, & ita tanquam profana riderentur. Hinc etiam nemo adultior ad baptismum admittebatur, nisi priùs in myste-

An Confessio fidei in Ecclesia absoluta an verò solùm conditionatè semper necessaria fuerit?

riis fidei viva voce ritè instructus fuisset. Igitur hinc patet Confessionis fidei absolutam semper necessitatem fuisse.

Orthodoxum Symbolum quodnam rectè dici possit?

II. § 3. Existimat *oppositum symbolorum, aliorum cætuum Lutheranorum non debere extendi ultra articulos, in quibus Lutherani ac reliqui disconveniunt: Possunt enim prædicata hæc Orthodoxum, Evangelicum, Catholicum, Apostolicum Symbolum convenire symbolo heterodoxorum, scilicet quoad certos articulos, in quibus cum Lutheranis conveniunt.* Sed hæc opinio oppugnatur illo principio, *bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus.* Si igitur symbolum aliquod deficiat in uno aut altero articulo, jam eo ipso malum, adeoque non Orthodoxum, non Apostolicum, non Evangelicum dici debet. Repugnat item effato D. Jacobi, *qui in uno deliquit, factus est omnium reus.* Etsi igitur in uno aut altero articulo conveniat symbolum cæterorum cætuum cum symbolo Lutherano, quod utique Resp. supponit orthodoxum; disconveniat autem in aliis; nequicquam Orthodoxum & Catholicum dici absolutè & simpliciter debet. Hinc ex eodem principio concludo, nec Lutheranum symbolum absolutè Orthodoxum & Apostolicum dici posse; quia non in uno, sed pluribus articulis deficere ac delinquere demonstratur à polemicis Scriptoribus. Illud enim symbolum verè orthodoxi nomen meritò meretur, quod in omnibus & singulis fidei articulis conforme est non symbolo seu Confessioni Lutheranæ, sed potiùs Veritati primæ revelanti: & Ecclesiæ Catholicæ proponenti, id quod fusiùs demonstratur in *Regia via.*

Responsio ad hoc Postulatum.

III. § 4. Ad postulatum tandem respondetur *affirmativè.* Ratio, quia, inquit, *in probanda hac assertione,*

eidem viæ insistimus, quæ ad postulatum VI. in demonstranda doctrinæ puritate terebatur; ostensa enim doctrinæ puritate jam evidens est symbolum quoque esse purum, hoc est Evangelicum &c. est enim nihil aliud, quàm compendium doctrinæ in articulis fidei. Sed hæc Responsio

Non satisfacit I. Quia petit principium: quâ enim facilitate ille affirmabat puritatem suæ doctrinæ, eâdem nos eandem negavimus, quæ proinde eidem & ibi, & hic æquè probanda incumbit. *Non satisfacit* 1.

2. Hoc ipsum potest respondere Calvinista, Socinista, Mennonista, Quakerus, dicens doctrinæ suæ puritatem, adeoque & symboli demonstrari ex S. Scriptura. Unde committit Respondens fallaciā ignorationis Elenchi. Hic enim Elenchus est, quo quæritur, an Lutherani suæ Confessionis orthodoxiam probare possint argumento ex S. Scriptura desumpto, quod nullo jure sibi ceteri heterodoxi usurpare possint, ad quod non est responsum quicquam directè 2.

3. Qualis doctrinæ puritas sit Lutheranorum, patet ex iis, quæ de Luthero eorum antesignano in variis Auctoribus leguntur, attigimus paucula Cap. VIII. idque luculentiùs aliàs à nobis demonstrabitur. 3.

Tandem §. V. Facit ratiocinium, quo concluditur Lutheranæ religioni neminem securâ conscientiâ adhærere posse, ex eo quia non possunt probare se solos habere symbolum seu Confessionem fidei orthodoxam, Evangelicam, Apostolicam, argumento ex S. Scripturа desumpto, quod nulla alia religio sibi usurpare queat. Quod quidem ratiocinium subsistere firmum, atque inconcussum patet ex dictis.

CAPUT XII.

Responsa ad undecimum Postulatum examinantur.

I. § I. Citatur Postulatum § 2. objicit Respon: ἀδολεσχίαν Scrutatori, adeoque censet *frustra hic institui quæstionem de Catechismo, cùm ille apud Lutheranos sit pars symboli; quid igitur erat opus de parte tanquam de toto interrogare? sanè qui quærit, an Luther: habeant Orthodoxum &c. symbolum, hoc ipso etiam quærit an talem habeant Catechismum?*

Frustra arguitur Scrutator, quòd de Catechismo separatim inquirat.

Sed frustra hac in re arguit Scrutatorem. Etenim separatim quærendi de Catechismo habuit justas rationes. Nam Catechismus Lutheranorum non est pars propriè symboli seu Confessionis eorundem, sed potiùs est expositio, explanatio & institutio plenior ac planior eorum, quæ tanquam epitome symbolô continentur, pro captu & informatione rudium & simplicium, id quod videre est in *Institutionibus Catecheticis* Cunr: Dieterici. Et sicut expositio & explicatio v. g. S. Scripturæ aut alicujus alterius Libri non est propriè pars Scripturæ vel alterius libri, ita & Catechismus, qui est explicatio symboli, non est propriè pars symboli. Quia verò in hac expositione symboli seu Catechismo Lutherano Scrutator animadvertit multa adjici, quæ non reperiuntur in ipso symbolo: Etenim in symbolo non tractatur de decem præceptis, quæ in Catechismo explicantur: Non de Baptismo, Quomodo scilicet, seu quo ritu, quâ applicatione materiæ & formæ administrari debeat? Non

Quid sit Catechismus.

de

de Confessione, quò pactô, & hæc exercenda? Non de Cæna Domini, qua ratione administranda, & percipienda &c. Et quia hic ipse catechismus in diversis locis, Provinciis, Regnis, urbibus, ac diversis editionibus varius, nec plane sibi constans reperitur. Insuper autem, quia dantur Catechismi etiam in aliis diversis sectis: alius enim est apud Calvinianos, alius apud Socinistas, alius apud Mennonistas, alius apud Quakeros: qui tamen omnes, puncta & articulos ejusdem ex eodem principio suæ fidei videl: sola S. Scriptura, comprobare contendunt: justas igitur causas Scrutator habuit inquirendi, quisnam omnium harum sectarum Catechismus sit doctrinam Orthodoxam, ac verè Evangelicam, & Apostolicam continens? id quod in ipso Scrutinio Veritatis fusiùs expressit: adeoque justis de Causis de Catechismo non tanquam de parte, sed tota explanatione symboli instituit quæstionem, in quanam hodiernarum sectarum sit orthodoxa, Evangelica, & Apostolica verè.

Catechismi varii apud varios.

II. § 3. Objicit Scrutatori *fallaciam plurium interrogationum, eò quòd Quæstioni de Catechismo, adiungat Quæstionem de libris Dogmaticis*: Sed ex dictis suprà in simili patet Scrutatorem nullam fallaciam hic admisisse. Et *de his* quidem *adiungendi quæstionem*, rationem consimilem immediatè adductæ, habuit Scrutator. Per libros autem Dogmaticos intelligit id, quod declaravit jam ante in Scrutinio Veritatis, non qualiumcunque Auctorum, sed receptorum à tota Ecclesia, adeoque quodammodo pro Classicis habitorum in unaquaque religione. Illud porrò quod ait, *Lutheranum qui Lutheranus est, posse errare in doctrina; secùs quà Lutheranus, hoc est, juxta libros sym-*

An qui non quà Lutheranus possit errare in Doctrina?

ſymbolicos docens : talis enim ſemper doctrinam ſpargit ſanam ſeu veram, piam, ſanctam, Catholicam, Apoſtolicam &c. quia quidquid adfert, cum Scriptura S. ex qua Libri Luther. ſymbolici deſumpti ſunt, concordat : dubium controverſumque eſt. Tum quia, unde hoc Reſpondenti, quòd Lutheranus *qui Lutheranus* ; non autem *quà talis errare poſſit in doctrina ?* Unde hoc, quòd *quà talis ſemper doctrinam Sanctam, ſeu Orthodoxam*, &c. *ſpargat* ? Unde hoc, quòd *quidquid adferat, cum S. Scriptura concordet ?* Siquidem *omnis homo mendax*, atque errori ſubjectus ; Eccur non & Lutheranus *quà Lutheranus* ? Annon Lutherani hoc eodem utuntur argumento ad probandam Eccleſiam, SSq; Patres Eccleſiæ errare potuiſſe, adeoque non ſequendos ? Eccur Lutheranus *quâ Lutheranus* melior, illis Sanctis ac doctiſſimis Eccleſiæ Patribus & Doctoribus ? Tum quia quam dabit Reſpondens notam & Characteriſticam dignoſcendi Lutherani, *qui talis*, à Lutherano *quâ tali ?* Siquidem Lutheranus *qui talis* æquè pro ſua doctrina, quæ fortè contraria foret ſymbolicis Libris Lutheranorum, afferre poſſet S. Scripturam pro ſuo dogmate, atque Lutheranus *quà Lutheranus*. Etenim non inde ultimatò arguendus eſt aliquis Lutheranus quà talis, quia cum ſymbolicis Libris, ſed quia cum S. Scriptura concordat : hoc enim ipſemet Reſpond. ultimum adfert reſolutoriũ veri & Orthodoxi Lutherani Doctoris & doctrinæ. Quidſi igitur aliquis Lutheranus Doctor ex S. Scripturis probet aliquam doctrinam contrariam Lutherano ſymbolo ; quales fuêre de quibus Chriſtianus Chemnitius in Collegio Theol: ſuper formulam Concordiæ diſp: prooemiali, ita ait Num. 11. Occaſio & cauſa Libri fuerunt nonnulli Theologi, qui in præcipuis qui-

quibusdam & magni momenti articulis à Doctrina Augustanæ Confessionis discesserunt. Quales etiam ipse Respondens in sua Orat: inaugurali pro Doctoratu adducit. Unde probabit Respondens tales aut talem doctorem non fore Lutheranum quà Lutheranum? Negabit talem Respondens eò, quòd non concordet cum Libris symbolicis, at reponet is se concordare cum S. Scriptura, quæ utique est regula & Judex fidei, non Libri symbolici; quo argumento convincetur is esse *qui*, non *quà Lutheranus*? Tum quia id quod Respondens asserit, potest eodem sibi jure attribuere Socinista, Calvinista, Mennonista, Quakerus; quòd scil. v. g. Calvinista Reformatus *non qui*, sed *quâ talis* non possit errare in doctrina; *quia talis semper sparget doctrinā Orthodoxam ac verè Evangelicam;* quia *quidquid adfert, cum S. Scriptura concordabit.* Ergò (inferet) Libros Dogmaticos talis Reformati Calvinistæ fore eos, *qui doctrinam sanam, veram, Catholicam & Apostolicam contineant.* Hoc vel concedit Respondens, vel negat: si concedit; Ergò vera est & orthodoxa doctrina Reformatorum eorundem Libris Dogmaticis contenta. Si est vera; ergò tenenda: quod haud concedet Respondens. Si negat: probandum illi incumbit, id falsò a Reformatis asseri.

III. §4. Concedit & *aliorum, qui Lutherani non dicuntur, quique errores à Lutheranis damnatos fovent, aliquando in nonnullis cum Libris Symbolicis Lutheranorum, & cum S. Scriptura conveniunt, Libros Dogmaticos, continere doctrinam Veram & orthodoxam.*

An aliorum quoque qui non dicuntur Lutherani Libri dogmatici sint doctrinam veram continentes?

Hæc Concessio Respondentis *non satisfacit*, id quod, ex jam dictis paulò ante, patet. Tum quia tales libri & dicen-

dicentur rectè Orthodoxi, ut concedit Respondens, & non dicentur rectè, quia *bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus*, & *qui delinquit in uno, est reus omnium.* Si igitur deficiunt in aliquibus, etsi in uno aut altero conveniant cum Lutheranis, Libri illi non erunt boni, sed mali, seu non Orthodoxi, &c. si delinquunt in uno, rei sunt omnium. Tum quia & convenient Libri illi cum Lutheranis, ut concedit, & non convenient ob eandem causam, quia malum ex singulis defectibus. Tum quia aliorum Libri Dogmatici in aliquibus articulis cum Lutheranis conveniunt, at ita ut etiam in eisdem disconveniant: sic reformati conveniunt cum Luther: in articulo de baptismo, quòd infantes sint baptisandi, & disconveniunt in exorcismo circa baptismum adhibendo; conveniunt in articulo de Confessione, quòd auricularis confessio non sit necessaria, & disconveniunt in eodem; quia illi coram Ministro saltem in communi præscriptâ formulâ confitentur; isti secùs. Conveniunt in articulo de Cæna Domini, quòd sub utraque specie sumenda, & disconveniunt, quia hi negant realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, quam Lutheranorum Libri Dogmatici adstruunt &c. Quæro igitur an quoad hos articulos libri v. g. Reformatorum sint Orthodoxam doctrinam continentes? Annon? indubiè Respondens negativè respondebit. At quo argumento probabit haud esse tales, siquidem illi eodem planè modo, quo ipse, ex S. Scriptura tanquam fidei Regula & Judice probant dictos articulos. Tum denique quia negabunt ceteræ Religiones Libros Dogmaticos suorum Autorum continere doctrinam Orthodoxam & Apostolicam solùm quoad eos articulos, in quibus cum Lu-

theranorum Libris ſymbolicis conveniunt: quo argumento Reſpondens refutabit illos? præſertim quia pro illis articulis, in quibus diſſentiunt, à Lutheranorum Libris ſymbolicis æquè adducant S. Scripturam atque Lutherani pro ſuis?

§ V. Ad extremum adducit Ratiocinium conſvetum, quod ex jam dictis patet integrum ſubſiſtere contra Reſpondentem; nec Scrutatorem principii petitionem committere, ſed ipſummet Reſpondentem unà cum ignoratione Elenchi.

CAPUT XIII.

Reſponſa ad Poſtulatum 12. *referuntur & refelluntur.*

I. § I. Adducitur Poſtulatum.

§ 2. EXiſtimat, Reſpondens, *hoc poſtulatum à ſexto haud diſſentire, adeoque fruſtra inſtitui quæſtionem: eò quod Pura Prædicatio Verbi DEI, de qua quæſitum in VI. Poſtulato, nihil aliud ſit, niſi vera Apoſtolica, Evangelica, ipſius deniq́ue Chriſti D. ejusque Divini Spiritûs doctrina*, de quâ hìc quæritur.

II. Verùm contra eſt, imo, quia ſi Reſpondenti eſt *idem omninò utrumque poſtulatum, ſicut* (inquit) *Andria & Perinthia eædem fuêre Terentio*, ex quo verſiculum adducit: Ergò fruſtra conſtituit cum ſuis Doctoribus religionis fideique veræ notam Puram Verbi DEI Prædicationem: nota enim à re notata debet diverſificari, velut ſignum

Poſtulatum hoc ultimum diſtinctum à Poſtul: VI. patet, I.

gnum à signato, idem autem à se ipso distingui non potest; adeoque si pura Verbi DEI Prædicatio est eadem cum vera fide, religione seu doctrina, non distinguitur ab eadem; per consequens non est nota illius, quia quid indistinctum ab ea 2. Prædicatio nihil aliud est, quàm actio rationalis linguæ ac vocis humanæ, quâ palàm ac publicè doctrina, hoc est, objecta, seu res, aut articuli fidei Auditori proferuntur; quæ tum pura est, quando absque mistura erroris ac falsitatis. Actio autem ab obiecto seu re, quæ agitur, distincta est: Igitur & prædicatio, est à doctrina quæ prædicatur. Et certè quis non novit omnem sermonem græcè λογὸν seu locutionem distinctam esse à re, quam significat, denotat, atque profert. Hinc in Divinis Pater à Filio dicitur distingui realiter etsi in essentia sint idem, quia in Patre est λογὸς seu Locutio activa, in Filio λογὸς seu Locutio passiva; Pater loquitur activè Verbum, quâ Locutione generatur Filius, ac propterea inter loquentem Patrem activè, & Filium locutum passivè intercedit distinctio realis cum identitate summa naturæ. Ita & in præsenti Prædicatio doctrinæ debet omninò distingui ab ipsa doctrina quæ prædicatur, quia est λογὸς seu locutio & sermo, quo auditoribus profertur res credenda seu doctrina fidei. Si distinguitur: Ergò rectè Scrutator tanquam de distinctis instituit quæstionem; de Prædicatione quidem VI. de doctrina autem hoc ultimo postulato: adeoque frustra arguitur à Respondente, quòd duplicem de una eademque re instituat quæstionem.

3. 3. Postulatum XII. procedit de pura Verbi DEI prædicatione, hoc sensu, scilicet an Verbum DEI prædicetur absque ullo errore & falsitate, hoc est, secundùm

pu-

purum & Orthodoxum, quem à DEO inditum habet, ſenſum; nam poteſt Verbum DEI prædicari, ſed non ſecundùm eum ſenſum, qui orthodoxus adeoque purus eſt, ab omni errorum & falſitatis nota, velut aurum à ſcoria depuratus & ſeparatus. Jam autem hoc ultimum Poſtulatum, non de hac Prædicatione Verbi DEI agit, ſed de ipſa fide, religione, ſeu doctrina, quæ ſcilicet prædicanda, & docenda, an ſcil. apud Diſſidentes v. g. Lutheranos talis ſit? videlicet cum eâ energiâ, ut non tantùm defactò, actu, & reapſè exiſtentes heterodoxæ religiones ſive falſæ & hæreticæ, quamvis ſuam doctrinam prætendant eſſe veram ex S. Scriptura allegatis locis, ſed neque poſſibilis ſit ulla alia vera, ſeu orthodoxa, ex eadem S. Scriptura deducta. Quæ utique quæſtio longè diverſa eſt à priore, ut cuiuis prudenti Lectori ex immediatè dictis, patere poteſt. Fruſtra itaque Reſpondens imponit Scrutatori eum nihil novi à Poſtulatò VI. adferre.

III. Ratio etenim hæc inſuper eſt, quæ eum impulit ad hoc poſtulatum ultimò ponendum: Nam præterito ſeculo Lutherus doctrinam ſuam, ac fidem dicebat eſſe ſibi è Cælo datam, ipſius Chriſti Domini, Divinique ejus Spiritus, idque ex Evangelio & S. Literis probare contendebat adeò, ut propterea quintus Evangeliſta à pleriſque habitus ſit. Hoc verò ipſum de ſua doctrina aſſerebat Zwinglius, Calvinus & ceteri Reformati. Non contentus his duabus Servetus Socinus &c. aliam procudêre doctrinam, & Religionem, eandem planè Chriſti D. ejuſque Divini ſpiritûs aſſerentes, atque ex S. Scriptura demonſtrare contendentes. Emerſêre deinde cum ſua doctrina, itidem ex S. Scriptura formata

Ratio hujus 12 poſtulati adfertur.

Anabaptistæ, Mennonistæ, &c. Attollunt Caput & Quakeri cum sua diversa totô Cælô doctrina. Prodiit in publicum doctrina seu Confessio Evangelica fidei purioris: Quid dicam de iis, de quibus testatur apud Honorium Reggium de statu Ecclesiæ Britannicæ hodierno pag. 50 Paget in *Epist. Dedicatoria Hæreslographiæ*. Ecce, inquit, amota Hierarchiâ, subitò ingens hæreticorum numerus ut locustæ, Ecclesias Anglicanas obruerunt, Familistæ, Anabapt. Donatistæ, Brononistæ, Antinomi, Independentes, Acminiani, Sabbatarii, Antisabbat: Traskistæ, Millenarii, Hutheringronii &c. Hi omnes suas doctrinas solâ S. Scripturâ defendunt. Quis igitur vetet percontari Scrutatorem Veritatis, annon insuper alia adhuc nova ex alicujus cerebro enascitura sit doctrina, quæ itidem non disparibus S. Scripturæ fundamentis innitatur? Hæcque possibilis doctrina, an sit vera, seu orthodoxa futura? necne si ita, ergò ceteræ omnes falsæ: quia una omnium esse debet vera, quia Veritas una & indivisibilis. Si autem non foret vera & Orthodoxa; demonstrandum id foret non futuram talem, argumento ex S. Scriptura tanquam unica fidei regula desumpto, quod hæc ipsa uti nequiret ad probandum Lutheranam v. g. non esse veram & orthodoxam. Quæres quomodo ea doctrina non vera nec orthodoxa probari possit, quæ defacto non datur cùm non entis non dentur passiones. Respondeo. Eo ipso & doctrina falsa futura est, quando probaveris tuam esse veram & orthodoxam argumento tali, quo nulla alia defacto neque de possibili pro se uti possit. Id autem nunquam præstari posse assumpto unico illo fidei principio & regula nim: Scriptura, exclusa Ecclesiæ Cathol. autoritate

de-

demonſtro Scrutinii verit. Diſcurſu. 12. Et hic eſt Poſtulati ultimi nodus gordius qui haud *chorda oberrat eadem* cum Poſtulato VI. quem Reſpondens nulla argumentorum vi diſſoluit. Nam.

IV. § 3. Tota reſponſio in eo conſiſtit, quòd *doctrina alia à Lutherana dari quidem poſſit ex S. Scriptura fluens, æquè vera & orthodoxa atque Lutherana, ſed quæ doctrinæ Lutheranæ modernæ ſubordinetur, aut ſaltem coordinetur: ſecùs quæ eidem opponatur. Ratio hujus eſt, nam inquit cùm Veritas tantùm una ſit planè, ut intellectus Divinus, cum quo verum convenire debet, ſequitur propter æternam DEI, tam in ſententia, in eſſentia immutabilitatem non poſſe dari verum, niſi quòd vero ubique congruat.* Verùm.

Non ſatisfacit 1. quia *petit Principium.* Nam de hoc ipſo quæritur? hocque ipſum probandum erat Reſpondenti quòd Lutheranæ doctrinæ talis veritas competat. Unde enim illi de hoc? quis Scripturæ locus teſtatur de hoc? eſt id divinare, non demonſtrare. *Reſponſio ad Poſtulatum 12. non ſatisfacit.* 1.

2do. Committit *ignorantiam Elenchi*; hìc enim argumentum procedit de doctrina alia à Lutherana, & omnium aliarum ſectarum, an poſſibilis ſit æquè vera ex S. Scriptura fluens? annon? Negat Reſpondens de *doctrina*, quæ ſit *oppoſita Lutheranæ*, concedit de *ſubordinata*. At quidſi illa oppoſita æquè innitatur S. Scripturæ atque Lutherana? Negabit æque inniti? Quo probabit non æquè inniti? cùm illa doctrina eo planè modo ſit allegatura S. Scripturam ſicut Lutherana, ſicut id defacto faciunt Reformati, Sociniſtæ, Mennoniſtæ, Quakeri, Confeſſio Evangelica purior quoad oppoſitos doctrinæ Lutheranæ articulos. Non etiam adfert Reſpondens argumentum ex S. Scriptura quod illi ſoli ſerviat, 2.

viat, nec illud uſurpare poſſint aliæ Sectæ. Totum enim id quod dicit, poſſet reſpondere Reformatus, Sociniſta, Menoniſta, Quakerus, id quod applicanti facilè patere poteſt.

3. Tertiò Illa *doctrina alia à Lutherana nova poſſibilis ex S. Scriptura fluens, æquè Vera ac Lutherana ſubordinata vel ſaltem coordinata eidem*, vel eſſet in omnibus articulis fidei ſubordinata ſeu coordinata, vel ſolùm in aliquibus? ſi in omnibus, Ergò illa doctrina & erit alia à Lutherana, & non erit; erit, quia de tali procedit quæſtio, & talem ſupponit Reſpondens, defacto aliam à Lutherana ponens in Reſponſione; & non erit alia, quia quæ doctrina in omnibus articulis fidei ſubordinatur, vel coordinatur Lutheranæ, non eſt alia à Lutherana, ut per ſe patet. Atqui illa doctrina in omnibus articulis fidei ſubordinatur vel coordinatur Lutheranæ ut conceditur. Ergò non eſt alia. Si non eſt alia, ergò eſt eadem cum illa. Ergò Reſponſio committit ignorationem Elenchi, quia quæſtio procedit de alia à Lutherana, non de eadem cum illa. Si autem ſolùm in aliquibus articulis fidei ſubordinatur aut coordinatur, atque ideò eſt æquè vera ac Lutherana: Ergò omnes quæ præceſſerunt hæreticæ doctrinæ, omnes quæ defacto dantur religiones heterodoxæ Reformata, Zwingliana, Sociniana, Mennon: Quakeriana &c. ſunt æq; veræ ac Lutherana, quia nulla harum eſt, quæ non in aliquibus ſaltem articulis, conveniat cum Lutherana & quidem vel maximè in principali de Regula & Judice fidei: quem omnes aſſerunt eſſe ſolam S. Scripturam Eccleſiæ Cathol. auctoritate rejecta: id quod etiam ſupra probatum eſt. Deinde quomodo talis doctrina poteſt dici æquè vera, ſi in ali-

qui-

quibus solùm coordinetur in aliis secùs; siquidem *bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus?* Hinc denique infertur, nullo modo posse talem dari aliam doctrinam, quæ æquè vera sit ac Lutherana, quia neque ea quæ eidem opponeretur, ut ultrò concedit Respondens, neque ea quæ illi subordinaretur seu coordinaretur, ut probatum est.

V. Ex his igitur patet Responsionem esse nullam, atq; adeò integrum postulatum manere: patet insuper ex illo à Respondente illato Ratiocinio rectè sequi, nimirum Augustano-Lutheranæ Religioni neminem tutâ conscientia adhærere posse nec debere, eò quòd non possit probare se solam habere Orthodoxam, Apostolicam &c. doctrinam; ita ut ceteræ non tantùm actu, defactò, & reapsè existentes, quas reiiciunt doctrinæ, sint falsæ & hæreticæ; sed neque possibilis sit ulla alia vera, & Orthodoxa ex eadem S. Scriptura desumpta; idque 2do non possit probare argumento ex S. Scriptura desumpto; idque 3tio tali, quod nulla alia æquè jure sibi appropriare possit religio. Neque hac ratiocinatione committuntur à Scrutatore fallaciæ eidem à Respondente affictæ, quin in eandem ipse cadit foveam.

CAPUT XIV.

Difficultates à Respondente Scrutatori obiectæ facultantur.

I. INter primos ad obiecta argumenta modos Respondendi, reputatur à Philosophis *argumenti retorsio.* Hac

Hac eadem uti contendit, atque omnia se evicisse, quin convicisse Scrutatorem existimat Respondens hoc Capite; videamus an id præstiterit? Pro fundamento autem hujus retorsionis ponit IV. Paragraphos.

Præsupposita nonnulla Respondentis adducuntur.

§ I. Præsupponit per nos *nihil esse traditionem, nisi quòd extra Scripturam vult Papa?* idque ex eo, *quia cum ex Bellarm.* (L. 4. de Verbo DEI c. 12. ad argum. 2.) *duæ sint fidei Regulæ partiales Scriptura, & traditio. Omne autem illud est Traditio, quod extra Scripturam tenet & credit Romana Ecclesia: Hæc autem illud tenet & credit, quod vult Papa extra Scripturam. Igitur Traditio nihil est nisi id, quod extra Scripturam vult Papa.*

§ 2. Ex hoc præsupposito infert, quòd *qui ita docet & credit, idem ille doceat, quòd Papa est homo ille, qui juxta Apostolicam prædictionem sedet in templo DEI seque ostendit tanquam sit Deus 2. Thes. 24. Nam templum DEI est Ecclesia, ut hoc Pauli dictum explicant SS. PP. In Ecclesia autē sedet & ostendit, tanquam sit DEUS, qui in animas hominum id, quod soli DEO competit, sibi vendicat; quale nimirum jus est decernendi, quid credendum & non credendum sit, etiamsi in Verbo DEI nihil fuerit revelatum &c. Siquidem,* inquit, *cum Baronio statuimus* (Annal. Ad Ann. 325. num. 21.) *à Papæ arbitrio pendere decreta fidei, sancire, & sancita mutare.*

§ 3. Hinc insuper infert, quòd *parùm tribuamus honoris Verbo DEI, cùm Scripturæ aliam credendorum normam super inducamus. Nam sive hanc Scripturâ superiorem sive scripturæ æqualem faciamus; utroque modo Scripturæ derogatur; quia muneri ejus normativo, quod à S. Spiritu in omnia habet, quædam subtrahuntur. Addit autem Rectius in Jure Canon: legi causa 8. 9. 1, c. 24. nec sufficere; nobis in sacris*

literis

literis unica est credendi pariter & vivendi regula præscripta.

§ 4. Denique requirit Respondens à Scrutatore, *ut sicut ille à Dissidentibus postulabat ex eorummet regula demonstrari ea, quæ hic per quæstiones sunt digesta, solis v. g. Lutheranis competere, ipsemet eadem quoque ex sua prædicta regula demonstret, quòd solis competant:* adeoque *cogi ad postulata eadem liberè & seriò respondere.* His præsuppositis.

II. *Non satisfacit imo* Respondens quoad § 1. Quia putat se aliquid absurdum & inconveniens attulisse; cùm tamen nullum sit, (nisi illius opinione) si præsertim in recto sensu accipiatur. Nam persona *Papæ* potest dupliciter spectari: imo pro Persona seu homine, vel Doctore particulari ac privato, privatum quidpiam, proprio motu docente atque proponente, quod non spectet ad regimen Universalis Ecclesiæ. *2do. Pro Persona publica*, ut scilicet est Episcopus, Pastor, Caput & Præses universalis Ecclesiæ, ex Cathedra, ut aliàs dicitur, Petri definiens, videlicet toti Ecclesiæ aliquid credendum, tenendum vel in solenni forma proponens ac docens, quod ad communem omnium doctrinam, regimen ac utilitatem spectat. Quidquid igitur *Papa* secundo modo spectatus, docet ac proponit Ecclesiæ credendum, non diffitemur id esse *Traditionem*; sic enim spectatus *Papa* nîl aliud docet ac proponit propter assistentiam S. Spiritus, à Christo D. suæ Ecclesiæ visibili, atque in hac ejusdem visibili Vicario Capiti, promissam; nisi id quod docet ac tenet Ecclesia Catholica à Christo D. revelatum, & per Apostolos sibi traditum. Nam Apostoli quidem à D. accepêre, Ecclesia autem ab Apostolis; id quod disertè de se ait D. Paulus 1. Corinth: 2. *Ego autem accepi à Domino, quod & tradidi vobis*; ubi datur

Hæc præsupposita non satisfaciunt.

Non primum

Persona Papæ potest dupliciter spectari.

Q intel-

intelligi illum ea, quæ à Domino accepit, aliqua quidem scriptô, alia autem non scriptô tradidisse. Hinc concludens hoc Epistolæ Caput ait, *cetera autem cùm venero disponam*, id quod etiam disertè testatur Tertull. de præscript: Cap: 21. *Quid autem prædicaverint* (Apostoli) *i.e. quid illis Christus revelaverit? & hìc præscribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt eis prædicando tam viva (quod ajunt) voce, quàm per Epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, Matricibus, & Originalibus fidei conspiret Veritati deputandam id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à DEO suscepit.* Seu ut Cap: 31. ait, *Quod igitur Christus à DEO suscepit*, hoc *tradidit Apostolis, Apostoli Ecclesiæ.* Et quia Ecclesia est visibile Corpus; habet etiam visibile Caput (aliàs esset monstrum) Apostoli etiam taliter spectatæ Ecclesiæ tradiderunt visibiliter; adeoque visibile illius Caput hoc ipsum perpetim succedaneæ Ecclesiæ tradit, quod ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à DEO suscepit. Cùm itaque dicamus dogma, & consuetudinem seu ritum, qui nuspiam reperitur in S. Scriptura disertè positus, ab universa tamen tenetur Ecclesia (de quo Doctores & P.P. Ecclesiæ, aut Concilia generalia testantur) esse traditionem; rectè etiam dicimus, dogma esse consuetudinem ac ritum, qui nuspiam disertè reperitur in Scriptura, & à Papa tanquam Capite, & Pastore Ecclesiæ proponitur ac docetur, esse traditionem Ecclesiæ. Nusquam enim Papa credidit ac docuit, credit atque docet, credetque unquam ac docebit quidquam extra Scripturam, nisi quod credit ac docet Ecclesia universa,

SS.

SS. PP. & Concilia universalia; tum propter assistentiam Spiritûs S. ut dictum: tum propter connaturalem nexum & conjunctionem, quam habet Caput cum Corpore, & Corpus cum Capite, quod tantò magis dicendum de Capite & Corpore Christi Ecclesiæ mystico: cùm utrumque vivificetur, regatur, ac doceatur ab uno eodemque Spiritu S. Non tamen ordinariè sic describitur à nobis traditio Ecclesiæ, prout à Respondente; quod id sit, *quod extra Scripturam vult Papa.* Sed potiùs est dogma, aut ritus, seu consuetudo, quæ cum non legatur disertè in Scripturis, ab universa Ecclesia tenetur: id autem ab universa tenetur Ecclesia, quod in SS. PP. atque in Conciliis generalibus, unanimique consensu fidelium habetur: id denique ipsum & Papa tenet, quod eadem Concilia, & SS. PP. atque adeò tota Ecclesia frequentat.

Quid sit verè Traditio Ecclesiæ.

Per consequens dum dicitur illud esse traditionem, quod extra Scripturam tenet Ecclesia, implicitè in nomine Ecclesiæ intelliguntur, SS. PP. & Concilia, quæ repræsentant Ecclesiæ Corpus visibile & denique, Papa, qui est Caput Ecclesiæ visibile. *Confirmantur* hæc illâ D. Augustini sententiâ Epist: 118. *Illa autem quæ non Scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi; vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas:* (utique ab autoritate Romani Pontificis tanquam Capitis Ecclesiæ in Conciliis congregatæ, ut patet ex Canone 1. Apostolico.) *Non debent præter sententiam Rom: Pontificis Concilia celebrari* & ipse D. Augustinus agnoscit Epist: 90 ad Innocentium P. ubi Concilii Carthaginensis Sancita petit *cum aliis Episcopis ejusdem Concilii* etiam

Apoſtolicæ ſedis adhibita autoritate firmari) *commendata atque ſtatuta retineri; ſicut Domini Paſſio & Reſurrectio, & Aſcenſio in cælum anniverſaria ſolennitate celebrantur &c.* ſed hæc luculentiùs explicantur à nobis in Regia via Manuduc: IV. & V.

Non ſatisfacit 2. præſuppoſitum.

III. *Non ſatisfacit 2.* Quoad § 2. Negamus enim totum id abſurdum, quod ſubſumit, ſequi ex doctrina à nobis allegata. Nimirum, *Papam eſſe hominem iſtum, qui juxta Apoſtolicam prædictionem ſedet in templo DEI, ſeq; oſtendit tanquam ſit DEUS* &c. id quod à Bellarmino, Becano & aliis polemicis Autoribus ſat luculenter falſum eſſe demonſtratur.

Papa non eſt ille homo perditionis filius ab Apoſtolo deſcriptus.

Negamus item, *quòd ſibi vendicet in animas hominum id, quod ſoli DEO competit, decernendo quid credendum, & non credendum ſit, etiamſi non ſit in Verbo DEI revelatum*: id enim ſibi haud vendicat abſoluta, primaria, ac independente poteſtate; ſed ſolùm ſubordinatâ, vicariâ, ſecundariâ, ac dependente poteſtate à DEO, ac ejus S. Spiritu, quo regitur, & à quo docetur *omnem veritatem.* Et ſicuti Reges ac Judices non ſibi vendicant jus DEI, quod habet in homines vitæ ac necis, decernendo de vita & nece hominum; quia ſcilicet agunt id non abſolutâ, ſed vices DEI gerente poteſtate, de quibus ait Scriptura: *Per me Reges regnant, & Legum conditores juſta decernunt.* Pro: 8. 13. Ita idem dicendum eſt de Papa Chriſti D. Vicario, ac ſubordinato Capite ac Paſtore Eccleſiæ.

Deinde aliud foret, ſi Papa quidpiam decerneret contra expreſſam Scripturam; ſi autem decernat aliquid eſſe Eccleſiæ Traditionem, quod quidem diſertè in Scriptura non reperitur; Univerſa tamen tenet Eccleſia, non video quomodo *ſe oſtendat tanquam DEUM*? quomodo *jus ſibi in animas vendicet*? Porrò

Porrò in eo, quem ex Baronio pro confirmatione sui asserti adduxit loco, grande commisit Respondens crimen falsi. Etsi enim dicto loco ejusdem exstent verba *à Romani Pontificis arbitrio pendere, fidei decreta sancire, & sancita mutare.* Nihilominus alius eorum sensus est ab eo, quem supponit Respondens: quod ex ipso contextu hujus gravissimi Auctoris legenti patebit, quem immediatè subjungit; ait enim, *at non eo sensu à quoquam accipi velim hæc verba nostra, fidei decreta sancire, & sancita mutare, ut dictum existimet, quod semel de fide Catholica ab ipso Romano Pontifice definitum est, idem ab ipso mutari posse, atque contraria priori decreto sanciri. Absint hæc ab auditu fidelium, nimis enim crassæ stultitiæ est, id orthodoxum quempiam affirmare; scilicet secundùm quod à Domino dictum est Jeremiæ, constitui te super gentes & regna, ut evellas & plantes, destruas & ædifices, non ut ab ipso Propheta voluerit simul præstari contraria, ut eadem quæ evelleret, plantaret, & quæ destrueret, rursùm ædificaret, absque prævaricationis notâ, secundùm illud Apostoli; si quæ ædificavi, hæc destruo, prævaricatorem me constituo: sed intellexisse haud dubium voluit, ut operaretur illa circa diversa. Ita dictum accipias de Romano Pontifice, sancire decreta fidei, atque sancita mutare: nimirum rectam fidem decreto sancire, malè verò sancita à perversoribus, delendo mutare; à cujus decreto ceteri Orthodoxi ita dependeant, ut quæ recipienda pronuntiet, omninò recipiant; quæ verò recipienda mutaverit, aversentur &c.* Hinc judicet Lector de fide Respondentis, qui tam falsè citavit hunc Autorem.

Baronius haud fideliter à Respondente citatus.

IV. *Non satisfacit 3tio* Quoad §3. Neque enim quicquã derogatur Verbo DEI, seu S. Scripturæ docendo traditio-

Non satisfacit tertium præsuppositum.

ditiones præter Scripturam; atque adeò traditionem esse id, quod extra Scripturam S. tenet & credit Ecclesia Catholica, atque ejus visibile Vicariumque Christi Caput, Pontifex Romanus: neque enim Scripturæ alia credendorum norma superinducitur, neque ejus muneri normativo quidquam derogatur: Etenim dicimus S. Scripturam esse normam & regulam, ut ita dicam passivam: dicimus esse primum medium & argumentum certum, infallibile, & apodicticum, quo Ecclesia Catholica demonstrat hanc vel illam veritatem fidei verè esse revelatam à DEO, atque adeò credendam. Ecclesiam autem dicimus esse regulam activam explicantem, applicantem illam vivo & animato modo ad articulos fidei, quos si non legat disertis verbis in illa descriptos, tum recurrit ad alterum medium & argumentum, quo hoc vel illud dogma fidei vel morum comprobet nempe *Traditionem*. Et certè Judex non derogat muneri legis, nec se majorem illâ constituit, quando juxta illam sententiam fert ac decretum. Scientificus non derogat Principiis scientiæ, si juxta illa ponat conclusionem. Architectus non derogat regulæ seu Amussi Architectonicæ, applicando illam operi, quod præ manibus habet. Ita planè neque Ecclesia, ejusque Caput summus Pontifex derogabit Scripturæ explicando & applicando illam ad fidei articulos, & cùm quid disertè haud continet, credat, credendumque Ecclesiæ proponat tanquam à majoribus receptam traditionem.

Non derogatur quidquam S. Scripturæ docendo traditiones præter scripturam.

V. Nec verò quicquam contra nos facit illud Juris Canonici dictum, quin pro nobis: dicimus enim palàm. *Nobis in S. Literis unica est credendi pariter, & vivendi regula præscripta.* Regula inquam passiva, quæ explicatur

Juris Canonici dictum de Regula S. Scripturæ exponitur.

catur & applicatur ad regulata seu articulos fidei, ab activa scilicet Ecclesia Catholica, atque ejus visibili Capite vivo & animato modo; ita ut si quid haud reperiat in Scriptura disertè exaratum; de illo autem partim SS. PP. partim Concilia testentur, à fidelibus constanter & perpetuò credatur & teneatur, illud non aliud, quàm traditionem esse pronunciet. Deinde rectè *Jus Canonicum*, inquit, *in S. Literis Regulam præscriptam*, sed non negat dari quempiam interpretem illius regulæ, qui utique quid credendum vel non credendum, & quomodo vivendum juxta præscripta illius regulæ declaret & decernat; ne circa hæc litium perpetua detur occasio.

VI. *Quoad* §. deniquè IV. Minimè Scrutator refugit ad eadem postulata respondere, ex propriis tamen principiis fidei. Quorum utique duo statuimus, non tamen eo modo, quo illa ponit Respondens; Sed quo tum in Scrutinio veritatis p. 88. tum in Regia via manud. IV. à nobis adducuntur. Nimirum Primum Principium Catholicum est. *Illud omne Christi fidelibus est credendum atque tenendum, quod DEUS Veritas Prima & essentialis revelavit.* Secundum; *Illud, autem, DEUS, Veritas prima & essentialis revelavit, quod Ecclesia Catholica docet ac proponit revelatum esse.* Quod ut probet ita se habere, utitur quinque mediis sive argumentis. I *Verbo DEI Scripto.* II *Verbo DEI tradito.* III *Autoritate Oecumenicorum Conciliorum.* IV *SS. PP. & Doctorum Ecclesiæ conspirante doctrina & sententia.* V *unanimi ac perpetuo fidelium sensu & consensu.* Et hæc sunt nobis Principia & argumenta Apodictica, quæ nulli alteri heterodoxorum præter Ecclesiam Catholicam Romanam conveniunt: Omnes enim nullum aliud fidei Principium statuunt præter solam revelationem in S.

Scrip-

Scripturis; Ecclesiæ auctoritate penitùs repudiatâ. Longum porrò hic foret, omnes ad singula postulata Responsionum probationes, adferre; quæ à Jodoco Coccio Bellarm: aliisque fusiùs adducuntur, ad quos Respondentem remittimus.

VI. Dixi *non eo modo, quo Respondens, proponimus hæc duo fidei Catholicæ Principia*: ille enim ponit simpliciter præter *Scripturam*, *Traditionem*, ut hæ sint quasi duæ Regulæ Partiales. Nos verò censemus ponendum alterum principium sub nomine *Ecclesiæ* potiùs, quàm *Traditionis*. Etenim *Traditio* potest sumi tripliciter 1mo: pro *re tradita*. 2. pro *actione tradente*. 3 pro *causa* seu *principio tradente*. Principium itaque seu Regula fidei non potest propriè dici *res tradita*: hæc enim est dogma aliquod vel ritus Ecclesiæ, quæ non possunt dici regula, sed potiùs regulata. Ita prout & dogma fidei disertè scriptum in S. Literis non est regula, sed regulatum quodammodo. Neque etiam ipsa *actio tradens* potest propriè dici Regula: hæc enim potiùs est medium quoddam & via, seu principium *ut quo*, traditur aliquid. Igitur necesse est ipsam potiùs *causam tradentem*, esse regulam seu principium fidei *ut quod*. Hæc autem in fide est ipsa *Ecclesia*: Omnis enim *traditio*, seu *pro re tradita*, seu *pro actione tradente* accepta, provenit, tanquam à *Causa*, *principio*, & *Autore* illius *Ecclesia proponente*. Unde etiam hoc sensu intelligendi sunt Bellarm: & alii Autores Catholici, quando alterum fidei principium docent esse *traditionem*; quòd nimirum hoc ipsum sit *Ecclesia proponens*, seu *tradens*, Regula Partialis, seu alterum Principium *Ut quod* fidei activum, ut ita dicam, seu regulans, hoc est, activè vivo ac animato modo docens, quisnam sit articulus fidei,

Principia duo Fidei Catholicæ non eo modo proponuntur à nobis, quo à Respondente.

Fidei, aut ritus à DEO prima essentiali Veritate revelatus, idque probans quinque illis argumentis supra memoratis, inter quæ primum ac principale est *Verbum DEI Scriptum*; secundum Verbum DEI traditum, *quod utrumque* Concil: Trident: sess: 4. *pari pietatis affectu ac reverentia, suscipit ac veneratur*; quibus verbis conformat se illi D. Basilii dicto, *quæ utraque* (*scil: Verbum DEI scriptum & traditum*) *eandem ad pietatem vim habent* Lib: de S. Spir: C. 27.

CAPUT XV.

Respondetur juxta Catholica principia ad XII. Postulata à Scrutatore proposita; simulque rationes dubitandi Respondentis refelluntur.

I. AD I. Postulatum Respondetur Catholicè, *soli Catholicæ Romanæ Ecclesiæ S. Scriptura, est unica Regula fidei* passiva, ut ita dicam, & quæ applicatur ad regulata, seu dogmata fidei tanquam primum ac principale medium: Regula autem regulans, seu activa proponens, explicans, & applicans illam vivo & animato modo ad regulata, adeoque Judex fidei, quæ fidei dogmata & veritates à DEO Veritate prima essentiali verè revelatas proponit, est Ecclesia Catholica, ita ut hæc duplex Regula fidei nulli alteri heterodoxæ sectæ quam rejicimus, conveniat: Probamusque id argumento apodictico, quod nulla alia secta sibi appropriare potest 1. quia id DEUS revelavit in S. Scripturis. 2do DEUM revelasse Ecclesia Catholica docet ac proponit; id quod videre est pluribus demonstratum in scrutinio veritatis fidei parte 2. & in Regiâ via Manud: IV. & V. Rationes dubitandi Respondentis nîl contra nos faciunt.

Respondetur ad 1mum postulatum.

Rationes dubitandi Respondentis nîl contra nos faciunt.

Non 1ma. Nam contrarium docent SS. PP. Hilarius ad Constantium, Irenæus L. 1. c. 1. L. 3. c. 1. & 3. Tertul. de præscipt: hæretic: ubi monet *adversùs hæreticos traditione potiùs, quàm Scripturâ agendum esse.* Ignatius apud Eusebium L. 3. c. 36. docet, *hæreticorum vitari posse contagia, si diligentiùs traditioni inhæreamus.* Maximè autem Vincent: Lyrinen: ex quo paucula haud omittenda, quia hodiernæ sectæ ad vivum describuntur. *Videas* (inquit) *illas volare per singula quæque S. Legis volumina, per Mosis, per Regnorum Libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas: sive enim apud suos, sive alienos; sive privatim, sive publicè, sive in sermone, sive libris, sive in conviviis, sive in plateis, nîl unquam de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ Verbis adumbrare conentur.* Et paulò post; *sciunt enim fœtores suos nulli placituros, si nudè & simpliciter exhalentur; atque idcircò illos cælestis eloquii verbis velut quodam aromate aspergunt.* Et paucis interjectis, *quonam modo Catholici igitur in Scripturis S. Veritatem â falsitate discernent? Divinum* (inquit) *Canonem secundùm Universalis Ecclesiæ Traditiones, & juxta Catholici dogmatis Regulas interpretentur.* Plura apud eundem legere est ea de re, quæ attacta in scrutinio Veritatis fidei parte 2. declarat. 5. D. Aug: citato à Resp: loco *Tr:* 97 in Joan. nihil prorsùs agit de eo, quod vult Resp: quin oppositum docet, scilicet *Hæreticos semper ad Script: recurrere, rejecta Ecclesiæ auctoritate,* de quo in scrutinio veritatis parte 1. discursu 3. & Regia via manud: 2. 2da quoque Ratio dubitandi nîl valet, quin negamus *Judæos adhuc ad Traditiones tales recurrere, ad quales recurrit Ecclesia Catholica*, neque id probat nec probabit unquam Respondens. Etenim Traditiones, quas Judæis Christus D. exprobrat Matt: 15 & Marc: 7 erant meræ humanæ à sectariis,

aliquibus qui in illa Vet: Ecclesia erant, ut Pharisæi, institutæ: non exprobrat autem illis traditiones ab Ecclesia illa universa acceptatas, & à Patribus susceptas & *quas tradidit Moses* Act: 6. 4. *quarum* Paulus se *æmulatorem abundantiùs supra multos coætaneos in genere suo extitisse*, testatur. Quoad 3tiam Concedimus à nobis ex *Traditionibus oppugnari Dissidentes*; Concedimus *etiam heterodoxorum esse normam*; sed talem qualis est lex reo; aut jus naturale filio protervo; jus militare militi profugo. Qui omnes leges & jura quibus stringuntur, refugiunt, & vellent omninò sublata.

II. Ad II. Postulatum respondetur affirmativè. Probatur duplici fidei principio & quinque mediis seu argumentis ut dictum, id quod nulli alteri sectæ convenit. Ad rationes dubitandi. Quoad 1. negamus quòd *libros Apocryphos Canonicis annumeremus*; quidquid contra Chemnitius scribat. *Respondetur ad 2. postulatum*

Quoad 2dam quoque negamus *vulgatam versionem plurimis scatere mendis* nec in eo fidem habemus Gerhardo.

Quoad 3tiam sat superque Scriptorum PP. exstant, ex quibus defacto Traditiones Ecclesiæ desumptæ: Habet illas Resp. in libris nostrorum; modò æquos velit aperire oculos & legere, quarum pleræque à nobis in Regia viaManud. II Argumento VI enumerantur ex SS.Patribus.

Quoad 4tam. Patrum Scripta sunt in publica luce, asservanturque à tot centenis annis, tam Latinorum, quàm etiam majori ex parte Græcorum in latinum translata in vetustis Bibliothecis, ex quibus versio Scripturæ authentica vulgata confecta est ab Ecclesia Catholica in Concil: Trident: acceptata & approbata. Quoad 5tam. *Versionem Scripturæ etiam pro aliis Dissidentium edi à nobis* concedimus; cur ergò illam non sequuntur?

communem etiam aliis concedimus, imò volumus, ut juxta eam nobiscum fidei articulos teneant. Quoad 6tam falsum denique est *non constare apud nos, quænam & quot dogmata ex Traditionibus probentur?* Enumerantur utique ab Auctoribus nostris passim, & à nobis in Regia via Cit.: loco. Variatio Auctorum à Gerhardo allata, est in iis, quæ sunt minoris Considerationis, & quæ magis spectant ad ritus aliquos diversarum Ecclesiarum, qui interdum sunt diversi; non verò in iis, quæ jam longo usu Ecclesia pro veris Traditionibus suscepit.

Respondetur ad 3tium postulatum.

III. *Ad 3tium Postulatum* Respondemus affimativè. Probatur iisdem principiis supra dictis. Rationes dubitandi Respondentis nullæ sunt. Non 1ma; negamus enim *Doctores de interpretatione* eorum locorum, quibus jam ab Ecclesia recepti articuli probantur, *pugnare.* Lites inter Franciscanos & Dominicanos &c. sunt diversarum scholarum, non fidei; seu de iis quæstionibus, non quæ jam sunt decisæ, definitæ, atque ab universa Ecclesia receptæ. Ad 2dam non officit quidquam *rectæ, legitimæ* atque *authenticæ interpretationi Scripturæ Romani Pontificis* humilis & modesta *confessio*, v. g. dum scribit in Bulla *Æternam Sapientiam Mysterii penetralia sibi nondum patefecisse.* Quin arguit illum non è proprio privato sensu credenda, & tenenda à fidelibus declarare velle; sed nonnisi è mente S. Spiritus, qui Apostolos ac consequenter successores in Apostolica sede docturus esset omnia juxta prædictionem D. Salvatoris. Ad 3tiam, quòd *Malvenda & alii nonnunquam interpretationem Scripturæ ab Augustano-Lutheranis profectam laudent, benè habet*; si præsertim sit non mala nec dissona aut repugnans sensui Ecclesiæ, certè hoc nomine haud merentur reprehendi; Virtus enim & in hoste laudatur.

IV. *Ad 4tum Postulatum.* Affirmamus probamusque nostris Catholicis principiis. Rationes dubitandi Respondentis nîl contra evincunt. Negamus enim *multis modis Ecclesiam nostram corruptam esse ex Scriptura, Conciliis, ex Patribus &c. demonstrâsse Lutherum* & alios. Ad 2dam similiter negamus *Pontificios*, id est vel hoc nomine Catholicos, Orthodoxos, rectè nimirum sentientes ante; post Lutherum verò de Ecclesiæ suæ corruptione conquestos. Querelæ congestæ sunt à Gerhardo circa abusus privatorum hominum, aut particularium Ecclesiarum, propter quas haud sunt tollendi boni usus universæ Ecclesiæ. Quòad 3tiam. Quòd *quispiam Catholicorum, ex privato* suo sensu *de bonitate doctrinæ Lutheranæ sensit:* non illicò demonstrat eam esse reapsè bonam; longè plures inveniuntur, qui illam reprobant: quos si Gerhardus attexere voluisset, O! quantis parasangis majorem Catalogum opposuisset illi, in quo ab eo enumerantur Laudatores doctrinæ Lutheranæ. Laudârunt demùm aliqui non omnes, aliqua non omnia eo scilicet modo, quo ut diximus, virtus non vitia, & in hoste laudatur. *Respondetur ad 4tum postulatum.*

V. *Ad Quintum Postulatum.* Respondemus affirmativè. Probamus Catholicis principiis. Rationes dubitandi Respondentis nihil certi habent. *Respondetur ad 5 postulatum.*

Non 1ma; negamus enim nos Catholicos in *pluribus falli & fallere*, neque id certis argumentis probant Auctores.

Non 2da. Negamus enim *ipsum Pontificem*, ut Caput Ecclesiæ, in *rebus fidei errare posse*, nec id certè Gerhardus demonstravit, nisi falsò.

Non 3tia: Negamus *nos ignorare*, quin id de certa scientia palàm asserimus, *Papam*, juxta plenitudinem Pote-

ſtatis vicariæ ſibi à Chriſto D. communicatæ, *nullum ex articulis præſentibus loco moturum, aut novum additurum*: ſi quid hìc & nunc definiat, illud non erit novum, ſed vetus à DEO quidem revelatum; ſed nondum palàm toti Eccleſiæ credendum propoſitum: Papa enim haud eſt novorum dogmatum fidei faber; ut ſibi falſò imaginatur Reſpondens; ſed antiquorum, aut quæ nondum in plenam notitiam fidelium pervenêre, aut quæ propter Hæreticorum contradictionem dubia videbantur, aſſertor, & promulgator veridicus, & falli & fallere omninò neſcius, propter aſſiſtentiam S. Spiritûs.

Reſpondetur ad 6 poſtulatum. III. *Ad Poſtulatum Sextum.* Affirmamus & probamus dictis duobus Principiis. Ad Rationes dubitandi reſpondetur 1mo idem, quod reſponſum ad eas, quæ ad 4. poſtulatum propoſitæ. 2do negatur *ab Innocentio XI. Pontifice damnata aliqua dogmata*, quæ concernunt fidem eorum, quæ ab univerſa Eccleſia jam recepta. Vide *Criſin Theologicam* P. Joannis de Cardenas noſtri. Quod in quæſtionibus moris diverſi diverſa ſentiant, id non impedit puram Verbi DEI prædicationem: horum enim deciſio ſæpè pendet tum à legibus poſitivis, tum à ſubjectis diverſis, aliiſque circumſtantiis, juxta quas plerumque hìc & nunc judicandum de caſibus conſcientiæ.

Reſpondetur ad 7 Poſtulatum. VII. *Ad ſeptimum Poſtulatum.* Reſpondemus itidem affirmativè, probamusque iisdem nobis appropriatis Principiis & argumentis. Rationes dubitandi refelluntur. 1mo negamus enim *Cœnam D. mutilari, ac multis modis depravari*, nec id Gerhardus ſua confeſſione demonſtravit: Nec *Lutherani ex amuſſim inſtitutionem Chriſti ſequuntur*, cùm id ſibi & alii heterodoxi ex eodem principio approprient. 2do negamus *inter Sacramenta referri, quæ pro Sacramentis haberi nequeant*, propter defectum requiſitorum. VIII.

VIII. *Ad Octavum.* Affirmamus probamusque nobis appropriatis Principiis. Ratio dubitandi Una nulla: negamus enim *nos verâ doctrinâ, adeoque & veris Ministris destitui.* *Respondetur ad 8 postulatum.*

Ad Nonum. Affirmamus ex iisdem Principiis. Rationes dubitandi illegitimæ 1. Negamus enim nos *propter quàm plurimos errores reformatione opus habere, atque per Lutherum legitimè factam.* 2do negamus *deformationem dicendam, si quem ex Augustano-Lutheranis in partes nostras pertrahimus.* Si *Apostatæ* habentur Respondenti, qui ad Catholicos transierunt à Lutheranis; Apostata habendus Lutherus, Apostatæ habendi & ceteri, qui à Catholicis transiêre ad suas proprias ante inauditas profanas novitates. 3tio negamus *reformationem ferro magìs, quàm Verbo DEI institui*; Auctores à Respondente adducti, qui scripsêre de *coactione conscientiarum,* non sunt nobis demonstratio. *Respondetur ad 9 postulatum.*

Ad decimum. Respondemus affirmativè. Probationes eædem; Rationes dubitandi non subsistunt. Non 1ma. negamus enim à *Chemnitio decreta Concil: Trident: errorum plurimorum convicta,* id quod à tot Auctoribus Chemnitium refutantibus probatum est. *Respondetur ad 10 postulatum.*

Non 2da: neque enim id Veritati consonum est: quòd *in toto illo Concil: magìs, quid hominibus, quàm quid DEO placeret, attendebatur*; quin hæc est grandis calumnia, & criminatio, tot tam piorum quàm doctorum virorum, imò totius Ecclesiæ, quam illi unà congregati repræsentabant: non dissimilis illi, quâ semper utebantur Hæretici in Conciliis errorum convicti, neque in hoc fidem habemus Andr. Dudithio, nec Petro Suavi: quem verè solidè non *palpando vulnera* (ut ei appingit Respondens) refutavit Sfortia Pallavicinus.

Non 3tia; nam *de Mente Concilii Trident:* quoad articulos ad fidem universalem spectantes inter Catholicos Auctores haud certatur.

Non 4ta; nam *Oppositio* hæc quam affert Respondens *aliquo-*

quorum in Hiſpania decreto Concilii Trident: Seſſione 4ta de authentiâ vulgatæ verſionis, non præjudicat quidquam Majori Eccleſiæ parti eandem acceptanti.

Reſpondetur ad 11 poſtulatum.

Ad undecimum. Reſpondemus affirmativè: deducimusque ex noſtris Principiis. Ratio dubitandi nulla eſt; quia *Catechiſmum Catholicum ante Lutherum haud fuiſſe*, ita verum eſt, atque id quod pasſim aſſeritur ante Lutherum haud fuiſſe Biblia in Germanicum tranſlata Idioma, in publica luce poſita; ſed à Luthero primum è tenebris in apricum prolata. Fuiſſe autem ante Lutherum Catechiſmum pluribus declarat Vicelius in præfatione Catechiſmi à ſe editi. Biblia autem ab aliis antequàm Lutherus illa edidiſſet, viſuntur in noſtra Bibliotheca germ: idiom: Typis Vulgata per Sylvanum Otmar impenſis D. Joannis Kynman de Oeringen A. D. 1518. 22 Jan. Item in Olivenſi Anno 1494. 19 Novemb. impreſſa Lubecæ Operâ & ſtudio Nicolai de Lyra. In Paradiſo verò B. M. V. de Carthuſia viſitur adhuc antiquior.

Reſpondetur ad 12 poſtulatum.

Ad duodecimum. Reſpondemus denique etiam affirmativè. Rationes dubitandi Reſpondentis evanuêre unâ cum iis, quæ ad poſtulatum, ad quas ſe ſe refert, Quartum, allatæ.

Plura à Reſpondente haud licebit Scrutatori objici, ſi prælertim ad hanc *Libellam* noſtram amore unicæ Veritatis ſeriò animum ei advertere lubuerit. Scrutator ſibi dictum exiſtimat à Sapiente Eccleſiaſtici 4. v. 24 *Pro anima tua non confundaris dicere verum*, & v. 26. *non accipias faciem contra faciem tuam neque adversùs animam tuam mendacium.* Reſpondens verò ſibi applicet illud v. 30 *non contradicas Verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis Tuæ confundere*, quæ *confuſio* ingenua Veritatis agnitione *erit ei adducens gloriam & gratiam* v. 25. Aliàs viderit, ne illam *inſipientem*, audacem tamen & *clamoſam mulierem* imitetur Prov: 9. 17 quæ è mente D. Auguſtini in Joan: Tract: 97. eſt ipſa *Vanitas ſe ſcire opinantium, quæ cùm inops ſit panis, promittit panes; id eſt, cùm ſit ignara veritatis, promittit ſcientiam Veritatis.* Etenim *detectione Veritatis*, quæ hic ad *Libellam appenſa, inventaque minus habens*, ab eo Lutherana

DETECTA NONDUM VERITAS.

INDEX RERUM.

Errata	*Corrige*	*Pag.*	*Versu.*
Scrutiniis.	Scrutinii	20.	27
Secundo.	Primo	21.	12
Vitiis.	Vitii	22.	10
auctius.	auctiùs	25.	22
hi tituli	*adde* quia	31.	6
Soc:	Respond.	31.	24
esse Ecclesias.	esse Veras Eccles.	32.	17
arundo.	*adde* Vento agitata.	ead.	antep.
Regulam.	regulata.	48.	4
γειτὴς	κειτης		ibid.
sed utique.	quod utique	50.	20
γνησιός	Τνισιὸς	[illegible]3.	22
Verorumque.	utrorumque	80.	ult.
Consummemini	consummamini	101.	10
Postulatum XII.	VI.	184.	antep.
Sive falsæ.	sint falsæ	105.	11
Postulato VI.	XII.	ibid.	18
Acminiani.	Arminiani	116.	10
& doctrina.	ea doctrina	ibid.	26
faculitantur.	facilitantur.	119.	antep.

Cætera prudens Lector facilè corriget.